Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Franz Joël


Operum Medicorum Francisci Joelis Senioris Tomus Quintus

5 : In Quo Methodi Curandorum Morborum Universalium Libri Duo De Febribus & Venenis in genere & in specie continentur

In Usum Publicum, Inprimis Ad Mare Balthicum Medicinam facientium insignem utilitatem, revisus correctus & illustratus / a Francisco Joelis D. Authoris nepote ..., Rostochii: Rostochii: Hallervord: Typis Mauritii Saxonis, 1629

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728449757

Band (Druck) Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728449757/phys_0001
DFG

#

„Lib. 2 fag 32 reject Joch Eleck
AB de Duo, & gde ff nuca mi„
„ caj &c.

8945



68 A 2776 (5)

Rep. XXXV. 3. no 57.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728449757/phys_0002
DFG

UB Rostock
28$ 005 644 976

Medic. 32.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728449757/phys_0003
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728449757/phys_0004
DFG

Operum Medicorum

FRANCISCI JOELIS SENIORIS

TOMUS QUINTUS.

IN QUO

METHODI CURANDORUM MORBORUM UNIVERSALIUM LIBRI DUO

DE

FEBRIBUS & VENENIS

in genere & in ſpecie

continentur.

IN USUM PUBLICUM, IN PRIMIS AD

Mare Balthicum Medicinam facientium inſignem utilitatem,

reviſus correctus & illuſtratus,

à

FRANCISCO JOELIS D. AUTHORIS nepote & Illuſtriſs: D. PHILIPPI JULII Pomeranorum principis p. m. quondam Medico Cubicul.

ROSTOCHII. Typis MAURITII SAXONIS. Impenſis JOHAN. HALLERVORD. Anno M. DC. XXIX.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728449757/phys_0005
DFG

AD TYPOGRAPHOS.

IN operum horum *Dn. FRANCISCI JOELIS* celeberrimi olim Gryphiſvvaldenſ. Academiæ Profeſſoris *De FEBRIBUS & VENENIS*, frontis ſpicio, Typographi, vel quocunq; modo librariam negotiationem exercent, monendi ſunto, ne Medicis Operibus Joelis Dn. JOHANNIS HALLERVORDI impenſis, quæ hactenus publicę luci data, manum admoveant, ſed potius reliqua prædicti authoris Opera, quę adhuc dū reſtant, qualia ſunt Chyrurgia accuratiſsima, & experimenta ad omnia ferè morborum genera accōmodata, & ſi quæ ſunt alia, cum Deo, brevi expectent, prædictus enim HALLERVORDIUS totus in eo eſt, Cęſareo mandato ut caveat, quo minus intra fines Sacri Romani Imperij Regnorumq; & Dominiorū Cæſareę Majeſtatis, hereditariorum, *Franciſci Joelis opera*, ſimul vel ſeparatim, eodem aut diverſo charactere formavè recude, aut alteri recudenda dare, vel alibi expreſſa importare, vendere, quovis modo diſtrahere aperte vel occultè, absq; Johannis Hallervordij ejusq; heredum voluntate ac conſenſu, quiſquam præſumat, ſic ſententia eſt. B. V. 2. Aug. 1628.

Universitäts-Bibliothek Rostock

68 a 2776 (5)

PRÆLO-

J 7720

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728449757/phys_0006
DFG

PRÆLOQUIUM.

CUm Febres omnium morborum inter homines sint communissimi, & maximè familiares (pauca siquidem affectiones reperiuntur, quibus Febres non sunt adjunctæ, adeò etiam ut in Proverbium abierit, Vis sine Febre mori, in eos, quibus & aut gladius aut laqueus minitatur) Idcircò Febrium differentias species & causas novisse summoperè necessarium est Medico.

FEBRIS QUID ET EX QUALI excitetur calore

FEBRIS quid sit?

Πυρετὸς, à πῦρ hoc est ab igne, Latinis à Fervore, Febris, est calor præternaturalis primum in corde incensus & inde per arterias in totum corpus diffusus lædens actiones. Ex hac definitione constat Febrim morbum esse in calida & sicca intemperie. Extant & aliæ plurimæ Febrium descriptiones *apud Gal.* quæ ab hac non discrepant. In Febris Definitione calor ponitur pro Genere. Observandum autem est duplicem seu duplicatum potius esse calorem in omnium viventium vegetabiliumq; corporibus; Divinum & æthereum unum, Elementarem alterum. Divinus calor sive æthereus & cælestis in prima creatione ab opifice seminibus omnium viventium est insertus, qui non sensu sed ratione & cogitatione deprehenditur, cui nulla Elementaris frigiditas est contraria, nec ab ea etiam in excellenti gradu extinguitur, nec alteratur.

Calidum in viventibus est duplex.

ratur, nec extenditur, diminuitur nisi post ἀκμὴν sensim ætatis decursu usq; ad extremam senectam decrescit & diminuitur. Ejus coloris beneficio omnia corpora viventia & vegetabilia ex semitibus formantur, pronascuntur, vegetantur & conservantur ejus ope ex Ovis seu seminibus serpentis generantur serpentes, animalia frigidissima, & ex semine papaveris aut cicutæ herbæ frigidissimæ. Hunc calorem Græci θερμὸν ἔμφυτον καὶ ἔκγονον, id est calorem innatum congenitum & seminalem vocāt. Hic calor in humido radicali, seu primogenio est fūdatus & per universi corporis substantiā sparsus: hujus caloris beneficio postquam in animantibus cor est formatum; Excitatur alius calor, qui Calor naturalis seu vitalis & influēs seu Elementaris nominatur, qui ex aere attracto & vapore sanguinis in corde generatur, & cum æthereo calore cordis immiscetur in unamq; substantiam redigitur, ac per arterias in totū corpus distribuitur, quo universum corpus & omnes ejus particulę vivificantur, & nutriuntur.

Hujus caloris subjectum est sanguis. Hic calor in corporibus alteratur semper, & ex ejus remissione frigidi morbi, extensione vero calidi morbi generātur, qui nimium extensus & in igneum conversus dicitur Febris. *Hyppoc.* calorem nativum & naturalem vocat, ubi inquit: *Qui crescunt plurimum habent innati caloris.* 1. Aphor. 14.

FEBRIUM DIFFERENTIÆ & Species, Quæ?

Et veteres & recentiores cum Græci tum Latini in enumeratione differentiarum febrilium ad fastidium usq; prolixi sunt, nos quam possumus brevissimé

mè omnes febrium ſpecies methodo ὁριστικῇ καὶ διαιρετικῇ contrahemus, & ad duas tantum differẽtias à proprijs earum ſubjectis & accidentijs ſumtas referemus.

QVÆ SINT SUBIECTA *Febrium.*

Cum Febris ſit calor præternaturalis, & calor omnis ſit qualitas, & nulla qualitas ſine ſubjecta materia conſiſtere queat, neceſſe eſt febrem omnem in aliquâ ſubjectâ materiâ fundatam eſſe. Cum autem univerſa natura humana ex tribus tantum ſubſtantiis inter ſe differentibus conſtet, *Spiritibus*, humoribus & Solidis partibus, conſequenter omnem febrim ſitam eſſe aut in *Spiritibus*, aut in *Humoribus*, aut in *Solidis* partium ſubſtantijs, aut in his ſimul omnibus.

IN SPIRITIBUS QVÆ FEbrium ſpecies excitentur.

Quanquam & Febris peſtilens ſemper SPIRITUS primum occupet propter analogiam aeris contagioſ, tamen non prius vires ſuas exſerit, niſi (quod citiſſime fit) & humores in corpore putridos afficiat, de quâ paulò poſt plura. Propriè autem Febris accenditur in ſpiritibus quam Græci ἐφήμεραν Latini Diariam vocant, Quæ, ſi æger in victus ratione non delinquat, ſuâ ſponte intra 24. horarum ſpacium evaneſcit, & extinguitur per perſpirationem inſenſilem, vel per ſudorem. Si vero error committatur in cibo, ac potu & aliis rebus non naturalibus, tum à ſpiritu inflammato & ſanguis in arteriis ebullire incipit, & in Synochon non putridam tranſmutatur, Quæ & ipſa intra 4. aut

Febres in ſpiritibus.

ad ſummum 7. dies extinguitur, ſi autem diutius duret in Synochon putridam, de quâ paulo poſt dicemus, degenerat.

IN HUMORIBUS QUÆ ſpecies Febrium excitentur.

Febres in humoribꝰ

Maxima pars & ferè febres omnes, exceptâ ἐφημέρᾳ ex putrefactione humorum excitantur, Quæ omnes humorales & putridæ generali vocabulo nominantur. Putreſcunt autem humores aut in ipſis venis contenti, & generant febres continuas dictas, aut putreſcunt extra venas profuſi, & producunt febres intermittentes, ſive interpolatas. Sunt itaq; continuæ & intermittentes febres omnes, ſpecies putridarum febrium. Continuæ febres dicuntnr, quæ unicam habent acceſſionem ſeu paroxyſmum, & quæ, etiamſi pro humorum putridorum natura aut quotidie aut tertio aut quarto die exacerbentur, durant tamen usq; ad terminum ſive finem, & nec frigus nec rigor earum exacerbationes præcedit. Continuarum febrium quædam in eodem vigore durant uſque ad finem, & Græci ὁμότονοι, id eſt, ejuſdem tenoris nominantur. Aut ſtatim ab initio magis magisque augentur, quæ ἐπακμαστικοὶ, id eſt, increſcentes nominantur, aut ſtatim ab initio ſenſim decreſcunt & παρακμαστικοὶ, id eſt, decreſcentes appellantur. Intermittentes ſeu interpolatæ febres dicuntur, quorum paroxyſmus cum horrore, aut perfrigeratione, aut rigore incipit; & poſt certas horas remittit, & vel quotidie, vel 3. vel 4. die rurſum revertitur. Cum autem 4. ſint in humano corpore humorum ſpecies cum ſuis excrementis, ex eorum ſpecie, 4. præcipua genera putridarum febrium

Febres continuæ.

Febres intermittentes.

brium excitantur, ad quas reliquas ſpecies putridarum febrium referri poſſunt, veluti ſunt Synochus in ſanguine putrido, Quotidiana in pituita putrida, Tertiana in bile putrida, & Quartana in humore melancholico putreſcente.

EX SANGVINE PUTRESCENTE
quæ ſpecies febrium excitentur.

Febres sanguineæ.

Cum ſanguis reliquis humoribus inſeparabiliter ſit admixtus, ſolus ſanguis nunquam putreſcit, ſed aut tota maſſa ſanguinea putreſcit, & ſynochon putridam quæ impropriè febris continens nominatur, producit aut putreſcit tantum ἰχῶρ, id eſt, ſeroſior pars maſſæ ſanguineæ, quæ naturam habet flavæ bilis, & Tertianam febrim profert; aut putreſcit feculentior pars maſſæ ſanguineæ, quæ naturam melancholici humoris obtinet & Quartanæ ſpeciem excitat, & hæ quidem febres ſanguineæ nominantur & ut plurimum in corporibus Plethoricis contingunt, atq; ſi hæ ſanguineæ maſſæ partes in Venis putreſcant, continuas; ſi extra venas, interpolatas febres generant.

EX PITUITA PUTRESCENTE
quæ generantur febres

Febres Pituoſæ.

Si Pituita in ipſa maſsâ ſanguineâ intra venas putreſcat, quotidianam continuam, ſi extra venas, quotidianam Iutermittentem excitat. Quotidianæ febres Græcis ἀμφημερίναι & Latinis pituitoſæ nominantur.

Epialæ.

Ad pituitoſarum febrium genera referri debet & febris ἔπιαλος Græcis, Latinis Epiala & quæ τυφώδης, id eſt, madida nominatur.

Eſt autem ἔπιαλος febris, quæ ex pituita vitrea ſeu

seu albuginea generatur cum bile aliqua putrida perfusa, qua laborantes eodem tempore simul & ardent & rigent vehementer per universum corpus.

Typhodes Τυφώδης autem seu madida febris est ubi ἰχὼρ seu serum pituitæ, quod sudoris est materia, vel extra venas putrescit & ad cutim propellitur eâque laborantes, continuo sudore madent.

Verùm cum sudor aliis quoque plurimis febribus sit commune symptoma, nos eam inter symptomata collocabimus. Crebro etiam pituita putrida commiscetur cum bile putrida, ex qua mistione febres generantur complicatæ de quibus sequenti quęstione dicam.

EX BILE FLAVA PUTRESCENTE quæ excitentur Febres.

Ex solâ bile intra venas putrescente producitur tertiana continua, quæ Græcis Καῦσος, id est, ardens febris nominatur.

Febres Biliosæ. Causus.

Ex eadem etiam extra venas putrescente excitatur tertiana pura, sive exquisita intermittens. Si huic putridæ bili aliqua portio pituitæ putridæ sit admixta, tertianam spuriam seu notham generat.

Hæmitritæus.

Si vero ea mixtura constet ex æruginosæ prętur naturalis bilis & pituitæ ἡμιτριταῖος, id est, semitertiana excitatur, quæ naturam habet & quotidianæ & Tertianæ, in quâ si processu temporis pituita putrescens assetur, Duplicem Tertianam profert, & hæ species febrium biliosæ nominantur.

EX MELANCHOLICO HUMORE putrescente quæ Febres generentur.

Febres Melancholicæ.

Ex putrescente humore melancholico aut fæcu-

fæculentiori parte sanguinis intra venas, profertur Quartana febris continua, quæ si extra venas putrescat Quartana interpolata, cujus paroxysmi quarto quolibet die recurrunt & per duos dies inducias agũt.

Inter putridas febres recenset *Hipp.* & Quintanam, Sextanam, Septimanam, & Nonanam. Sed quia hæ febres in hisce borealibus oris, aut nunquam, aut rarissimè conspectæ sint, nos eas in Græciam ad suos autores relegabimus.

Quintanæ, Sextanæ Febres Medicos Boreales non exerceut.

In solidis partium substantiis quæ Febres accendantur.

Tertium subjectum febrium diximus esse solidas corporis partes, in quibus febres excitatę difficillimæ sunt curationis. Vastant enim & absumunt in solidis partibus humidum radicale una cum Carnosis partibus & extremam maciem corpori inferunt. Hæ febres in solidis partibus Hecticæ & Marasmi nominantur, nostratibus die Dürre/ die Schwindsucht.

Febres solidarum partium quæ Curationis difficilioris. Marasmus.

Hectica Febris dicitur habitualis, quod nimirũ in habitum convertatur adeo, ut laborantes eâ, se nõ sentiant febrire, nec ex pulsu arteriarum, aut urina deprehendi potest eos Febri laborare, sed ex solâ macilentiâ, & quod post sumptum cibum calor increscit, & ad genas effunditur easque rubore tingit. Similis enim est Hectica febris calci vivæ, quæ ad tactum frigida esse deprehenditur, Ubi autem humore perfunditur igneum vaporem exhalat: Ita in Hectica febre post assumptũ cibum igneus vapor excitatur. Duplex autem est Hectica, totalis & particularis. Totalis est quæ universam corporis substantiam occupavit, Particularis vero, quæ ex corruptione alicujus visceris e-

Simile ex C.V.

Hectica Totalis Particularis.

patis vel pulmonis excitatur & in totum Corpus diffunditur.

Quæ Febris simul hæc tria subjecta, spiritus, humores, & solidas partes, id est totam naturam devastent.

Febris Pestilens.

Febris pestilens primum in spiritibus ab aere pestilenti & venenato per respirationem & perspirationem hausto excitatur, moxque & humores putre facit, & paulo post humidum primigeneum in solidis partib. corrumpit & brevi temporis spacio totam naturam extinguit. Sementum enim pestiferum à Deo per aerem sparsum non tantum suâ putredine, quæ maxima est, sed totâ suâ substantiâ naturæ humanę adversatur & citissimè ac validissimè per omnia penetrat, & cum natura huic contagioni reluctetur, plerumque venenum ad adenosas & imbeciliores partes ut collum, Axillas & inguina propellit, ibidemq; bubones & Anthraces excitat.

Quæ Febrium differentiæ sumantur ab Accidentibus.

Febres aliæ per se Morbi.

Ex accidenti, Febrium aliæ sunt Morbi aliæ Symptomata:

Morbi sunt omnia febrium genera, quæ ex causis morbificis & non ab antecedentibus morbis sunt generatæ, ut sunt putridæ ferè omnes.

Aliæ symptomata.

Symptomata sunt, quæ ex alijs antecedentibus morbis sunt excitatæ, tales sunt febres in Phrenitide, Angina, in Peripneumonia, Pleuritide, Pthisi & ex bubonibus excitatæ.

Febres symptomaticę

Porrò febres symptomaticę rursum duplices sunt:

Aliæ

Aliæ enim ad putridas aliæ ad Hecticam referri possunt. Ad putridas referuntur quæ ex putrescente aliquâ colluvie in cavitatibus viscerum ut ventriculi, uteri, in intestinis & in meatu venæ cavę aut Lienis excitantur, ut cum in ventriculo corruptus cibus in prassinam bilem convertitur, generatur febris tertiana aut Καῦσος. Aut ubi in utero sanguis retentus putrescit, excitat febrim, aut ubi in radice venæ cavæ putrescit sanguinea massa excitat febrim. Aut ubi in intestinis ex putrida colluvie Lumbrici generantur & ex eorum commotione lenta febris producitur. Ex hisce enim cavitatibus à putredine tetri vapores exhalant ad cor, ibidemque accenduntur & febrim producunt. Ad Hecticæ particularis speciem referuntur febres, quæ ex nudâ inflammatione viscerum videlicet pulmonis, Epatis ventriculi aut uteri excitantur & hujusmodi febres Græcis λειπύριαι nominantur, in quibus interiora ardent, exteriora verò frigent. *matica duplices.* *Lipyriæ.*

Ad particularem quoq; Hecticam referuntur febres, quæ ex corruptione substantiæ viscerum aut Aposthematibus aut vulneribus excitantur; ut in pulmone Pthisis & in Epate continua Hectica:

Quæ verò Græcis Febres Καύσοι καχεκτικαὶ vocantur, id est, ardentes malignæ præter has Accidentarias differentias febrium, quædam dividuntur in Typicas, quædam in Erraticas. Typicæ Febres sunt, quæ accessionum & remissionum suarum statum & ordinatum tempus servant. Id autem contingit ex æqualitate putredinis. Erraticæ sunt quæ nec paroxysmi, (id est, accessionis exacerbationis) nec remissionis suæ ordinarium tempus retinent, cujus rei causa est *Febres Typicæ.* *Erraticæ.* *Causa erraticarũ.*

Febres simplices compositæ

inæqualitas putredinis, ubi videlicet humor febri subjectus partim putridus partim putredinis expers est. Rursum febrium putridarum aliæ sunt simplices & puræ, aliæ complicatæ seu compositæ.

Febres Simplices

Simplices & puræ, quæ ex unico & simplici humore putrescente producuntur, ut sunt Tertiana exquisita, Quotidiana & Quartana simplices & Typicæ, hoc est, suum ordinem servantes.

Compositæ.

Complicatæ febres sunt quæ ex mixtura duorum aut trium putridorum humorũ procreantur, quales sunt Febris semitertiana, Tertiana duplicata, Tertiana spuria; pro diversitate enim commistionis & pro extensione & remissione putredinis humorum variæ & Erraticæ ut plurimùm generantur febrium species. Quas singulas ad sua genera & principales febres naturamq; prædominantis humoris putridi in curatione referemus. Hippocrati Familiaris est divisio febrium à caloris constitutione sumta. Qua febrium alias mites, alias acres, quasdam aridas, quasdam madidas, alias fumosas, alias vaporosas ponit. Ex enumeratis febrium speciebus nos subsequentium tantum cum suis symptomatibus curationem tradituri sumus, ad quas reliquas omnes tanquam soboles ad suos parentes reducemus. Sunt autem primariæ febrium species Diaria, synochos putrida, Quotidiana, Ardens, Tertiana, Semitertiana, Quartana, Hectica, Lypiria & Pestilens.

Quæ communia symptomata febrium sint comites.

Febrium Sympto-

Omnes in universum febres gravia comitantur accidentia, quibusdam plura in aliis pauciora. Quarum

rum præcipua hæc sunt, Rigor, capitis dolor, Vigiliæ, somnus profundus, sitis intolerabilis, Ariditas & Scabrities linguæ, Difficilis respiratio, Tussis, crebra vomitio, Appetentiæ prostratio, virium imbecillitas, animi deliquium. *Harum communia.*

Antequam ad Febrium Methodicam curationem accedamus, paucarum quarundam difficiliorum quæstionum ad curationem febrium plurimum conducentium, explicationem breviter proponemus, iisdemque præcipuos Aphorismos Hippocratis ad prognosticon eventuum febrilium facientes subjungemus.

Quæ sint causæ quod Paroxysmi febrium ut plurimum ab horrore, partium refrigeratione, rigore, oscitatione & pandiculatione incipiant.

Priusquam causas horum accidentium febrilium proponam, brevissimè vocabula hujus quæstionis, quæ in tractatione febrium usitatissima sunt, explicabo.

PAROXYSMUS significat febrium accessiones, seu invasiones. Horror, frigus & rigor inter se extensione & remissione tantùm differunt, & sunt commotiones corporis ab expultrice facultate excitatæ. *Paroxysmus, quid?*

Et HORROR quidem, qui Barbaris HORRIPILATIO quoque vocatur, est levis & cutanea tantum concussio, cum sensu alicujus refrigerationis.

FRIGUS seu perfrigeratio febris est, ubi in initio febris per totum corpus ac maximè in extremis

partibus frigiditas sine concussione percipitur. RIGOR in febribus est totius corporis ac præcipuè maxillarum ac dentium concussio cum vehementi perfrigeratione totius corporis. Rigor quanto major præsertim circa statum Universalem morbi seu febris, tanto plerumquè faciliora sunt præsagia: Natura enim tunc luctatur & discutit humores.

OSCITATIO est musculorum oris & faciei distensio crassos halitus & vapores musculos gravantes discutere conantium.

PANDICULATIO idem est in Musculis Thoracis & totius superioris partis corporis, quod est oscitatio in Musculis Oris, distensio videlicet ab expultrice potentia in Musculis gravatis excitata.

CAUSAE porrò horum motuum sunt vapores fumi & flatulenti halitus à febrili calore ad subcutaneas partes propulsi. Quemadmodum enim in furnis seu fornacibus incensis flammam perpetuò præcedit fumus; Ita incensis in corde vaporibus & halitibus antequam febrilis calor ad externas partes se diffundat, vapor, fumus & flatulenti halitus ab eodem calore & flamma ad superficiem corporis propelluntur, qui per sensiles partes veluti sunt fibræ & membranæ musculos involuentes, & potissimum carnosa seu subcutanea dicta, membrana, in quibus vapores impulsi refrigerantur ac nonnihil condensantur, ibidemque aliquamdiu hærent, donec flamma febrilis subsequens eos dissolvat & discutiat per porosque cutis insensibiliter vel sensibiliter propellat. Hi itaq; in membranis hærentes ratione suæ densitatis partim, partim tenuitatis ac putrescentiæ & acrimoniæ horro-

horrorem, frigus & rigorem excitant. Halitus autem crassos musculos obsidentes per oscitationem & pandiculationem ante febris invasionem discutere & expellere natura conatur. *Gal. l. 2. de differ. febr.* disputat contra *Platonem & alios quosdam Philosophos* & negat hæc febrium accidentia frigidas esse affectiones & alias horum motuum causas reddit, sed nobis hæc rationi & veritati magis consona videntur.

Quæ sint causæ quod Paroxysmi Febrium intermittentium alij quotidie, alij tertio, alij quarto die recurrant.

Circuituũ Febrilium causæ.

Etsi plurimum cùm Græci tùm Latini conati sunt varietates temporum Paroxysmorum febrilium reddere, uti & nos Tomo primo nostrorum Operum indigitavimus, tamen eorum omnium rationes redargui possunt, & imperfectæ esse videntur, & ut *Montanus recte ait, Non potest alia causa veritati magis consona assignari, quam quod talis sit Natura, & latens proprietas putrescentium in corpore humorum, ut nimirum pituita putrescens quotidie, bilis flava tertio, melancholicus humor quarto die commoveatur, & paroxysmum excitet.* Nam quod de motus humorum facilitate & difficilitate comminiscuntur, veritati non sunt consentanea, cum biliosus humor facilius quam reliqui commoveantur, & tamen non quotidie sed tertio die suum concitet paroxysmum.

Quæ sint causæ, quod Febrium intermittentium paroxysmi quandoque statam horam anticipent, quandoque tardent & retrocedant.

Paroxysmum febrilem anticipare dicimus, quo-

Anticipare & postponere in Febribus quid?

niam citius, quàm antea ægrotum invadit, ut dum antea 12. hora invaserat alterâ vice vel 11. vel 10. vel 9. adoritur. Contra retrocedere dicimus, cum tardius quã antea ægrotantem adoritur, ut cum antea accedebat horâ 12. nunc horâ 1. 2. 3. aut 4. recurrit.

Quæ causæ.

Duæ autem sunt harum mutationum causæ, quarum προηγουμένη est humoris putridi inæqualis putrescentia ejusdemque cruditas & concoctio, crassities & tenuitas. Inæqualiter enim putrefactis & crudis existentibus humoribus febres semper anticipant, & incrementum ac longitudinem febris significant, contra æqualiter putrefacti humores aut extenuati & concocti sive naturâ sive remedijs retardant paroxysmũ, & declinationis ac brevitatis febrium sunt signa.

προκαταρκτικὴ *seu externa causa* sunt error ac negligentia vel sedula intemperantia in victus ratione, manifestum enim est, quod febre laborantes si cupiditati suę obtemperent & in Tertiana vinum forte largius bibant, aut in Quartana & Quotidiana aquam, Paroxysmum anticipare ac febrim in longius tempus protrahere & vice versâ, qui optima & convenienti diæta in febribus utantur, paroxysmos & tardius recurrere & febres diminui mitioresque reddi.

Quæ partes principales in putridis febribus singulis præcipue afficiantur.

Viscera quæ in quibus febribus magis laborent.

In omnibus febribus, omnes quidem partes principales afficiuntur, cor quidem ex putridis vaporibus in se accensis, cerebrum ex eorundem vaporum exhalationibus, Epar & Lien & ventriculus ex æstuantibus putridisque humoribus in eis collectis, sed in specie omnium maximè afficitur ventriculus in Quotidianis

tidianis & pituitosis febribus. Epar in Tertiana & biliosis febribus, Lien, in Quartana & melancholicis febribus, pulmo & cor in Hecticis.

Qui Hippocratis Aphorismi potissimum circa febres sint observandi

Hi nimirum ex quibus de Eventibus febrium præsagia sumi possunt, ut sunt hi sequentes.

1. *Quibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres solvuntur 4. Aph. 63.*

2. *Si Rigor incidat, febre non deficiente ægrò jam debili, lethale est 4. Aph. 46.*

3. *Febres quæcunque non Intermittentes tertio die fortiores fiunt, magis sunt periculosæ. Quæcunque autem intermittunt periculum abesse significant. 4. Aph. 43.*

4. *In febribus intermittentibus si partes exteriores frigidæ, interiores verò urantur & siti premantur, lethale est. 4. Aph. 48.*

5. *In febre non intermittente, si labrum vel oculus vel nasus vel supercilium contorqueantur, vel non videat, vel non audiat, jam debili existente corpore, quicquid horum evenerit, mors proxima est. 4. Aph. 49.*

6. *Ubi in febre non intermittente difficultas spirandi & delirium acciderit lethale est. 4. Aph. 50.*

7. *Quicunque in febribus vel in morbis aliis sponte illacrymant, nihil absurdum, qui vero non sponte, absurdius 4. Aph. 52.*

8. *Quibus in Causone siccæ tusses leniter irritantes fiunt, ij non multum siti infestantur 4. Aph. 54.*

9. *Ex bubonibus febres omnes malæ, præter Ephemeras. 4. Aph. 55.*

10. *Febricitanti sudor superveniens febre non deficiente malum, prorogatur enim morbus & multam significat humiditatem. 4. Aph. 56.*

11. *A febre ardenti habito, superveniente rigore, fit solutio. 4. Aph. 58.*

12. *Tertiana exquisita septenis circuitibus, quod longissimum est judicatur. 4. Aph. 59.*

13. *Quibus in febribus aures obsurduerunt, sanguis ex naribus fluens aut alvus turbata, soluit morbum. 4. Aph. 60.*

14. *Quibus in febribus morbus regius ante diem septimum accidit malum. 4. Aph. 62.*

Quibus vero septimo nono vel undecimo vel 14. supervenerit bonum 4. Aph. 64. Nisi dextrum Hypochondrion obdurverit. Schirrum enim significat, Epatis aut obstructionem aut magnam inflammationem, quæ periculosa est.

15. *In febribus circa ventriculum fortis æstus & in ejus orificio morsus ac dolor malum. 4. Aph. 65.*

16. *In febribus ex somnis timores & convulsiones malum 4. Aph. 67.*

Omnis somnus lædens ægrotum mortalis est, Juvans verò salutaris. 2. Aph. 1.

Et à somno delirium semper pessimum est signũ. 2. Aph. 2.

17. *Quibus febricitantibus urinæ sunt turbatæ, quales sunt jumentorum ijs dolor capitis vel adest vel aderit. 4. Aph. 70.*

Quia spiritus flatulenti unà cum calore occuparunt cerebrum, perturbatæ urinæ quæ citò residunt in hypostha sin crassam, morbum solvi significant: Quæ verò nõ residet sed tur-

turbata permanet longitudinem morbi ostendit, & si vires sunt imbecilles mortem.

18. Sudores febricitanti si inceperint, boni die tertio 5. 7. 9. 11. 17. 20. 27. 34. Hi enim judicant morbos; Qui verò non ita fiunt laborem & morbi longitudinem & recidivam significant 4. Aph. 36.

19. Frigidi sudores cum acuta febre mortem, cum mitiori longitudinem morbi significant. 4. Aph. 37.

Qua parte corporis sudor est ibi significat morbum, 4. Aph. 38.

20. In febrium accessionibus abstinere oportet. Nam cibum dare noxium est. Iis itaq; qui per circuitus accessiones habent, in ipsa accessione abstinere oportet. 1. Aph. 11.

Victus humidus febricitantibus omnibus confert. 1. Aph. 16.

Febrium curatio quomodo sit instituenda.

Methodo curandæ febrium.

Ut omnium morborum ita & febrium curatio methodo & certa ratione est instituenda, via procedendi sumptâ ab indicationibus.

Est autem indicatio rationis dictamen & demõstratio, quid in morbo ordine primo, secundo, vel tertio loco, & ita per consequens sit agendum exhibendum aut applicandum pro naturâ morbi ejusq; constitutione.

Dictat autem ratio, in morborum curationibus ægroto primum imperare victus rationem morbo contrariam; secundò materiam vitiosam concoquẽdam & vacuandam esse, & partes laborantes corroborandas, ac in universum omnem intemperiem contrarijs remedijs & rerum non naturalium vocatarum

docta administratione alterandam, ad nativamque temperiem reducendam, & ita methodo perpetuò procedendum erit, nisi tam sint sæva & periculosa morbo adjuncta symptomata ut universam solicitudinem Medici relicto morbo ad sui remotionem vel mitigationem convertant & abripiant.

SECTIO II.

DE FEBRIUM IN SPIRITIBUS accensarum curatione.

Diaria Febris quid, quæ ejus causæ, signa, & quomodo curanda.

Febris Ephemera.

Ἐφήμερα est quę in tribus spiritibus nostras actiones gubernantibus vitali potissimum, animali & naturali in arterijs contentis incenditur. Est itaque proprium Diariarum febrium subjectum spiritus. Ἐφήμερα febris nomen obtinet â tempore durationis, unicam enim habet accessionem, & si æger in victus ratione non delinquat, ultra diem naturalem id est 24. horarum spacium non durat, sed sua sponte extinguitur. Diariarum autem febriũ alia est morbus ex solis procatarcticis causis orta, & alia est symptoma, quæ ex bubonibus non venenatis accenditur. Bubones autẽ seu glandularum tumores ut plurimum excitantur in pueris, qui crescunt, aut excitantur ex tuberculis vel ulceribusq;, quæ tubercula & ulcera si in capite sint sita, bubones in collo; si in manibus sint constituta, sub axillis, si in pedibus in ipsis inguinibus adenarum tumores, qui bubones nominantur, excitat, quos perpetuo febris Diaria comitatur. Tales autem bubones non sunt pernicioſi, aliàs autem rata & verissima est

Duratio ejus.

Bubones pueorum unde & ubi excitẽtur.

Hipp.

Hipp. Sententia. 4. Aph. 55. Febres omnes ex inguinum Bubonibus natæ, malæ; præter Ephemeras, id est per unũ diem durantes.

Causæ Febrium Diariarum omnes προκατάκτικαι tantum sunt, inter quas præcipuè sunt solis ardentis radij, corpus, ac potissimum nudum caput ferientes, & ambientis aëris vehementior caliditas, alimenta ac medicamenta impensius calefacientia, vini meracioris immoderatior potatio, unguenta oleaque calida nimirum penetrantia cuti inuncta, exercitium seu corporis motus laboriosus ac diuturnus, animi ex ira seu excandescentia commotio, pororum cutis constrictio aut obstrictio perspirationem prohibens. Constrictio contingit ut plurimum ex balneis aut lavacris constringentibus & aluminosis. Obstructio pororũ accidit ex inunctione obstruente, aut ex crassis tenacibusq; humoribus poris impactis. Diariæ autem quatenus est symptoma, causæ sunt bubones extuberantes non tamen venenati, quales in crescentibus ex ulceribus tuberculisque obortis excitari diximus. *Causæ.*

Ejusmodi enim Bubones semper Diaria febris comitatur, extra istas causas Bubones perpetuo sunt suspecti & ut plurimum venenati & febres ex ijs ortæ periculosæ, juxta sententiam *Hipp. 4. Aph. 55. Febres omnes ex inguinũ Bubonibus natæ, malæ; præter Ephemeras:* aut enim pestilens virus aut maxima putrefactio eos excitat.

Signa. calor febris Diariæ semper mitior est quã aliarum febrium, pulsus magnus vehemens & frequens, æqualis tamen, urina tenuis est & perspicua, *Signa.*

ad albedinem vergens & propter tolerabilem concoctionem sedimentum habet inculpabile. Febris Diaria ut plurimum per sudorem aut madidam exhalationem terminatur, si ephemera orta à calore cordis, facies squallida & oculi concavi apparent, reliquarú causarum Diariæ signa ex ægri relatione deprehendi possunt.

Curatio. CURATIO. si non delinquatur in victus ratione sponte sua evanescit Diaria sine auxilio Medico post 24. horas; & ideò rarissimè & non nisi in principum aulis & Gynecæis accersuntur Medici ad curationem Diariarum. Verum ubi Diaria exardescit, curatio ejus consistit in causæ remotione aut ejusdem alteratione; primùm itaque debitâ victus ratione & morbo contraria refrigerans nimirum & humectans præscribatur; hujusmodi sunt ptisana, pruna Ungarica acida, pisces Saxatiles, Lactuca cum aceto rosaceo & similes.

IN potu præter aquam hordei debet esse Cerevisia clara & natura frigida aut Brunsvvicensis. Et si corpus est plethoricum & Diaria protrahitur ultra 24. horas, commodissimè vena epatica aut media dextri humeri incidi poterit. Si Diaria aut â pororum obstructione aut â solis ardore & ambientis aeris caliditate sit excitata, præstat laborantem in lavacrum aut balneum aquæ dulcis deducere, nisi corpus sit cacochymicum. Tunc enim evacuatio balneum præcedere debet; post lotionem inungendum est universum corpus *ol. rosar.* cum exiguâ portione *aceti rosar.* mixto aut sequenti Limmento ℞ *ol. Rosar. Nymph. an ʒ ij. cera alba q. s. F. L.* & eluatur cum aceto rosarum.

Hippo. Epidem. Sect. 5. v. 32.

Somnus

Somnus inter cætera est præstantissimum remedium Diariæ, Vinum quoque tenue & aquosum concedi potest, præsertim, ubi temperamentum ægri non sit biliosum. Vinum enim fumantes spiritus mirificè discutit per halitus. In summa cuilibet causæ contrarium adhiberi debet remedium, labori quies, vigiliæ somnus, repletioni inanitio, in æstu refrigerium, ulceri & tuberculis indeque excitatis Bubonibus persanatio ac discussio, constipationi pororum apertio.

Somnus est præstantissimum Diariæ remedium.

Porrò si Diaria ultra unum diem perseveret, propter ægri intemperantiam Diaria in Synochon non putridam degenerat, quæ & ipsa mitis est, & si non peccetur ultra 4. aut ad summum 7. dies non producitur.

Est autem *Synochos non putrida*, ubi ex spirituũ vaporumque inflammatione etiam massa sanguinea in venis & arterijs incalescit & ferveſcit. Ex ijsdem causis & maximè ex pororũ cutis obstructione & errore in ratione victus contingit, idque præcipuè in corporibus plethoricis.

Synochus non putrida.

Curatio hujus febris consistit in venæ Epaticæ aut mediæ sectione, & victus ratione refrigerante & humectante, Commodissimum autem est præsidium sæpè bibere *Syrupum acetositatis citri cum aq. Cichor. mixtum* commodè quoque adhibetur Balneum aquæ dulcis, & inunctio *cum ol. Rosar.*

Spiritus Vitr: & ejusdem Sacharũ.

De Febrium in humoribus accensarum curatione.

Alteram Naturæ humanæ substantiam *ex 6. Epidem. Hipp.* diximus esse Humores, in quibus nulla accenditur

cenditur febris, nisi vel intra venas contenti vel extra venas profusi putrescant. Omnes itaq: febres in humoribus putrescentibus excitatæ nominantur febres humorales & putridæ, & ubi humores intra venas putruerint excitant continuas febres: Extra vero venas putrescentes interpolatas seu intermittentes. Porrò humorum cum suis excrementis 4. sunt genera sanguis, pituita, bilis flava, & humor melancholicus. Hi pro suæ naturæ & putrediuis in ipsis inæqualitate, extensione ac remissione, & inter se commistione varias species putridarum febrium producunt, ut in sequentibus ordine docebimus.

In Sanguine putrescente quæ Febres excitentur.

Unde Febris Sanguinea.

Per sanguinis vocabulum hoc loco non sincerus sanguis & purior pars massæ sangineæ, quæ nunquam nisi cogitatione à reliquis humoribus separari potest, intelligenda est, sed tota massa sanguinea ut in venis continetur & colore rubet. Hæc massa universa putrescēs ut plurimum (ut ex cruore è venis detracto conspicuum est) tres diversas habet partes. Sanguineam substantiam, aquo sam, serosioremque partem cruori innatantem & partem limosiorem foeculentioremq; colore nigricantem & in fundo peluis subsidentem.

Sanguis habet 3. partes.

Vbi itaq; massa sanguinea putrescat tota & quidem intra venas *Synochon continuam*, si vero extra venas *Synochon interpolatam* excitat; cujus curationem nunc tradituri sumus. Aut ubi serosior ejus massæ pars tantum putrescat, quæ bilis flavæ naturam obtinet Tertianæ speciem producit, cujus curationem in febri-

febribus bilio[illegible] ſumus dicturi. Similiter ſi foex ſeu craſſus limus qui melancholici humoris naturam habet putreſcat, febrim excitat quartanæ naturam præ ſe ferentem, ejus autem curationem in Melancholicis febribus tractaturi ſumus. Febris in ſanguinea maſſa excitata plethoricis corporibus familiaris eſt & dicitur febris ſanguinea vel febris in ſanguine.

Sanguinea Febris quid? Quæ ejus cauſæ, ſigna & quomodo curanda.

Συνοχὸς *putrida*, febris ſanguinea, quam & *continentem* quidam appellant, ea eſt, ubi maſſa ſanguinea intra venas contenta putreſcit, & continuam generat febrim. Nam ſi ſanguinea maſſa extra venas profundatur ibidemque putreſcit, per ſe quidem nõ febres, ſed tumores inflammatos, quos φλεγμονας vocant, generat, quibus ſi febris accidat, ſymptomatica erit: Synochon febrim & Græci & Latini nimium ſcrupulosè diſtinguunt à ſynocha, quam diſtinctionem commentitiam, cum parum aut nihil faciat ad febrium curationem, & tantum diſcentium turbet ingenia nos conſultè repudiamus. Porrò *Synochos putrida* ſuam naturam non diu retinet, ſed vel in biliosam, aut Melancholicam, ſeu in Tertianam, vel Quartanam degenerat.

Synochos putrida quid?

Subtiles nimis diſtinctiones noxiæ

Cauſæ προηγούμεναι ſunt redundantia ſanguinis, ſeu plethora, & in Epate Chymi putrefactio. προκαταρκτικαὶ ſunt alimenta multum ſanguinem generantia, putrefactioni tamen obnoxia, ut ſunt ova non admodum recentia, fructus horarij citò putreſcentes, & pororum cutis obſtructio perſpirationem & euaporationem ſanguinis prohibens.

SIGNA ex conſtitutione corporis & colore florido & venarum dilatatione facile dignoſci poteſt.

Nota. PROGNOSTICON. In ſynocho putrida 4. & 7. dies ſtudioſè ſunt obſervandi tanquam Critici, in quibus ſi concoctio in urina appareat aut Criſis vel Critica expulſio per nariũ fluxionem aut alui turbationem aut ſudoris eruptionem contingat, certam ſalutis ſpeciem promittit, ſin vero nihil tale eveniat, fiet mutatio febris vel in Tertianam vel in Quartanam.

Cura. CURATIO in venæ ſectione, victus ratione, remediorumque refrigeratione & putrefactioni reſiſtentium uſurpatione inprimis conſiſtit, Initio itaque

Clyſter. ante venæ ſectionem aluus ſequenti *Clyſtere* à putrida colluvie eluatur ℞ *fol. Malvæ, Althæ. viol. lactuc. an. M. i. viol. ſic. m. ß. ſem. Aniſ.* ℥ ß. *prun. acid. num. vj. coq. in q. s. aq. ad tertias colati juris accipe* ℔ j. *cui admiſc. caſſ. extract.* ℥ j. ß. *elect. lenit. ol. viol.* ℥ iij *ſal.* ʒ j. *miſce.* Fiat enema, quod jejuno exiſtente ægrotante tepidum infundatur.

Aut qui uſum Clyſteris non ferunt exhibe *Syr. roſ. ſolut.* ʒ iv. *cum aq. Endiv. mixtas s. q.* Altero die vena vel Epatica vel Mediana dextri humeri incidatur, & ſanguis non ad animi deliquiũ, ut *Galen.* ſuadet, (quod ſane temerarium & periculi plenum eſt præceptum præſertim ſub climate hoc boreali) detrahatur, ſed quantum natura patientis & vires tolerare poſſunt, præſtat itaque, ut inciſio venę poſt horas 4. denuò reiteretur, ſi vires ferant largius detrahatur. In Synocho enim ſive ſanguinea febre, detractione. Sanguinis vel per venæ ſectionem vel è naribus copioſam eruptionem, nullum eſt ſalutarius præſidium: per ſanguinis

ſiquidem

siquidem detractionem putridus sanguis tollitur, obstructio reseratur & inflammatum corpus refrigeratur; post venæ sectionem si alvus est durior, devorandæ patienti præbeantur ʒX, *pulpæ cass. recent. extractæ aut mannæ ʒi. ß in jusculo prunorum dissolutæ & colatæ.* Statim autem in initio febris præscribatur *victus ratio* tenuissima refrigerans & humectans, In alimento itaque conducunt *Cremor Ptisanæ, pruna Vngarica; Lac. ex 4. sem. major frigid. & Amygdal. dulc. cum aq. acetosæ confectum*, pisces similiter saxatiles & squammosi cum aceto rosar. conferunt: ita & jusculæ caponum & pullorum: Quin & Lactuca portulaca aut Acetosa pauxillo aceto & ol. perfusa concedi potest. In potu conducunt *aq. hord. cum succo Arant. aut granatorum* temperata; Reliqua remedia omnia, quæ exhibentur, debent esse, quæ calorem præternaturalem alterandi & putrefactionem prohibendi virtute polleant, ut sunt hæc sequentia:

Omnia hæc modicè, ne cruditatibus sint causæ

℞ *Syr. Acetos. citri, granator. è succo Limonum, acetos. an.* ʒi. *Aq. card. benedict.* ℔ i. ß commisce & mane & vesperi ʒ4. aut. v. tepidè offerantur, ijsdem Syrupis singulis aut simul mixtis & lambendo assumtis etiam sitis mitigari potest. Possunt quoque cum aq. hordei misceri & subinde pitissando gustari, alterant enim calorem, & sitim, ut dictum est, sedant. Ubi verò corpus plethoricum simul seroso sanguinis excremento redundet sequens haustus commodè exhiberi potest.

Potiones istens calori & putredini.

Spirit. Vitrioli. Spir. Salis absinth.

℞ *Syrup. è Succ. fumar.* ʒi. *Rosar. solut.* ʒij. *Aq. centaur. minor.* ʒiiij. *aut loco aquæ decoct. centaur. minor. cardui benedict. & Tamarind.* ʒiiij. misce & tepida mane exhibe.

Potio ad seros. sanguinem.

At vero si vehementer dilutus ac tenuis sanguis, id quod ex crebra eruptione sanguinis ē naribus & substantiæ sanguinis tenuitate deprehendi potest. ℞ *Tamarind. ʒ ij. conser. rosar. viol. Boragin an. ʒ i. Sem. plantag. Acetos. an. ʒ ß 4. sem. frigid. major. an. ʒ ij. Sebesten No. x.* Concoquantur simul in duplici vase ad sesqui horam cum *Seri lactis caprilli ℔ iij.* & fortiter expressa colentur F. Potio, de qua exhibeantur mane ac vesperi ʒ iiij tepidè, interim & corroborationis cordis & spirituum vitalium habenda ratio.

Potionibus commodè miscentur Magisteria Flor. Corall. Perlar. & tinctura eorundem.

Ex sequenti itaque Electuario crebrò q. s. devorandum præbeatur. ℞ *pyror. Mosc atell. Condit. Citrinat. cond. an. ʒ ß Radic. cichor. condit.* ʒ vi. Quibus minutim concisis commisceantur *confer. rosar. Borag. buglos. an. ʒ iij. species, Diamargar. frigid.* ʒ *i. Corall. rubr. præparat. ʒ ß Margar. præparat. ʒ j. Syrup. acetos. Citri q. s. F.* Electuarium. Topica autem remedia hęc commodè applicari possunt:

Curatio ab obstructione pororum.

℞ *Spec. Diatrion Sant. Diamargar. frigid. ana. ʒ j. Corall. rubr. præparat. ʒ j. ß camph. ʒ ß Aq. Rosar. Endiv. satiu. Boragin. an ʒ iij. Aceti rosac. ʒ j. misce F.* Epithema, quod duplicatis linteolis exceptum modiceq; tepefactum regioni cordis atq; epatis applicetur. Porrò si in febre sanguineâ & plethorico corpore putrefactio sanguinis ex obstructione pororum excitata sit à frigiditate ambiente, id quod ex ægri relatione intelligi potest, præstat ægrotantem statim in initio febris in Baln. aq. dulcis deducere atq; lavare, in quo cocta sunt *Mal. Lactuc. viol. & Melilot.* & ablutum corpus *Ol. chamæmel.* inungere, aliàs quotidie & hypochondria spinamq; dorsi inungere utilissimum erit subsequenti Linimento.

℞ *Bu-*

℞ *Butyri recen. ol. viol. an.* ℥ ß *Mucag. sem. citon. cum lacte muliebri aut succo Mercurialis parata* ℥ ÿ. *cera albæ parum* F. Linimentum.

De Febribus Pituitosis.

Præter illam naturalem pituitam, quæ in massa sanguinea habetur & sapore dulcis est; & quæ à calore nativo concocta in sanguinem convertitur, plura in diversis corporis capacitatibus, veluti in ventriculo, intestinis & cerebro generantur genera, quæ excrementitiæ nominantur, & quæ pro substantiæ suæ constitutione, qualitate, mistionisq; cũ alijs humorib. ratione varios generant frigidos morbos. Sunt autem pituitæ primariæ species Naturalis & excrementitia, excremẽtitię rursum species sunt pituita acida, salsa, serosa & vitrea: Quarum differentias novisse maximè necessarium est Medico in recta curatione Febrium pituitosarum. Ex illarum omnium enim putrefactione, putridaque earum ad Cor evaporatione generãtur pituitosæ febres, quarum species hæ sunt, Quotidiana continua, Quotidiana intermittens, Quotidiana cruditatis, Epiala, & Lypiria, quarum curationem nunc ordine recensebimus.

Febres pituitosa.

Quot species pituitæ excrementitiæ.

Quotidiana continua quid? Quæ ejus causæ, signa & qua ratione curanda.

Ἐφημέρινα, Quotidiana febris est, quæ quotidie recurrit & hominem denuò invadit, Quotidiana autem continua generatur ubi pituitosus humor in ipsis venis putrescit, sed quoniam sola pituita rarissimè in venis sine putrefactione totius massæ sanguineæ putrescat, rarò Quotidiana continua cotripiuntur homines,

Quotidiana cõtinua.

Quotidiana continua rara

sed aliis febrium generibus pro ratione & mixtura putrefactorum humorum inter se commixtorum; Si autem id contingat ut pituita potissimum in venis putrescat, generat diuturnam & longam febrim, protrahitur enim ejus paroxysmus ferè ad 18. horas; Quibus præteritis, reliquæ. 6. horæ, quæ debebant esse Quietis, valde sunt laboriosæ, & hinc hæc pituitosa febris etiamsi non sit continua, tamen ob longitudinem nominatur Continua & sæpe Medicis non satis exercitatis hæc febris Quotidiana hectica putatur esse; Sed differt ab Hectica, quia Hectica corpus exiccat & emaciat: In Quotidiana autem continua corpus est molle & quasi subtumidum ac spongiosum.

Differentia inter hanc & Hecticam

CAUSA προηγουμένη est pituitosus humor intra venas putrescens. προκαταρκτικαὶ sunt alimenta multam pituitam generantia & facilis corruptionis.

SIGNA. Quotidiana continua ut plurimùm circa solis occasum cum extensissimo frigore invadit & noctu magis magisque augetur ac ut dictum est, protrahitur ad horas 18.

PROGNOSTICUM. Quotidiana continua ut rarior, ita longè periculosior est Quotidiana intermittente. Reliqua causarum signa & universam curandi rationem in sequenti tractatione de curatione febris Quotidianæ interpolatę recensebimus.

Quotidiana intermittens quid? Quæ ejus causæ, signa & quomodo curanda.

Quotidiana intermittens rara.

Quotidiana Febris intermittens est vulgatissima propter ingluviem hominum, & est ex genere pituitosarum febrium naturis pituitosis familiarissima, & de-

& debilem habentibus ventriculum; cruditateque laborantibus, cujus paroxysmus quotidie recurrit. Cavendum tamen, ne quis ex quotidiana invasione decipiatur & temerè Quotidianam judicet, nisi pituitæ redundantia adsit, nam & duplicata Tertiana quotidie recurrit, cujus signa & differentias in sequētibus docebimus.

Causæ προηγούμενη sunt pituitosa colluvies putrescens vel in ventriculo vel intestinis, vel in venis Mesaraicis collecta, vel ex cerebro ad subjecta viscera defluens, quæ natura, ut diximus, aut insipida est, aut salsa aut acida, aut serosa ac tenuis aut crassa crudaque aut vitrea. προκαταρκτικαὶ sunt alimenta cruda, concoctuque difficilia et putrefactioni obnoxia, frigiditas ventriculi & cruditas, otium & desidia.

Signa. Proprietates Quotidianæ intermittentis sunt; circa vesperam accessiones habet, non cum rigore sed cum extensa frigiditate incipit & ut plurimum horis 18. affligit. In omni Quotidiana ventriculus & epar vehementer debilitantur, Calor febrium Quotidianarum non admodum est extensus seu æqualis sed fumosus calori ignis ex viridibus lignis accensi similis. Febris Quotidiana non ut reliquæ cum sudore desinit, præsertim in initio; sed processu temporis, ubi pituita est extenuata, tum desinente febre, sudor erumpit ex certis quibusdam partibus. Præter hæc signa Quotidianarum sunt, quod paroxysmus quotidie cū vehementi frigore recurrat, Et si ex crassa pituita excitata sit quotidiana, Urina alba est & tenuis, sed paulatim deinde rubescere incipit & Hypostasis crassior efficitur ac os ipsum continuo madore est perfusum.

Ubi

Ubi vero putrescens pituita salsa est, salsedo per linguam percipitur, & continua ariditas linguæ adest, & Urina est rubea & crassa, & cum caloris sensu ac acrimonia profluit, Si vero ex acida pituita febris sit genita, Urina alba est, & ructus acidi & desiderium cibi, non ut in aliis pituitosis febribus, omninò prosternitur. Pituitæ vitreæ signa paulò post in epiala febre annotabimus. Præterea in Quotidianarum ferè omnium paroxysmis ut plurimum nauseæ & pituitosæ evomitiones excitantur nullum adferentes levamen.

Curatio. Curatio Quotidianarum consistit in debita victus ratione, putrescentis pituitæ concoctione, extenuatione, & ad evacuationem præparatione, & tandem conveniênti evacuatione ventriculi & epatis assidua corroboratione, & remediorum specifica proprietate febri adversantium exhibitione: Porrò in Quotidianarum febrium, sive hæ sunt continuæ, sive intermittentes, curatione, pituitę putrefactę species, qualitas & substantiæ ejus constitutio omnium primum studiosè cognoscenda erit, ac inprimis utrũ ea sit crassa aut tenuis, Crassa enim pituita ad sui extenuationem & concoctionem, & longius tempus & fortiora remedia crebrioresque evacuationes efflagitat, quàm tenuis & aquosa pituita; quin & in crassa pituita omnia refrigerantia immoderatè sedulo sunt vitanda. Sed in serosa salsaque pituita, quæ ferè bilis naturam præ se fert, moderatè refrigerantia non nihilque incrassantia tutò administrari possunt. Ubi itaque crassa pituita febrim excitavit quotidianam, tum ut dictum est, in victus ratione & in remediorum usur-

Cautio.

usurpatione omnia frigida sunt vitanda, ut sunt aëris frigida constitutio, cibi, potionesque tàm actu quàm potentia refrigerantes & pituitam augentes eamque condensantes, Item otium ac desidia, nec illis alimenta sunt offerenda, nisi in remissione Febris. Debent autem alimenta esse moderatè calefacientia & extenuantia & in potu quidem conferunt hydromel & vinum tenue moderatè bibitum. In Quotidiana Continua, cujus materiam in ipsis venis putrescere diximus, in initio curationis aluus eluatur sequenti Clystere.

Clyster.

℞ *Malu. Mercur. Parietar. Flor. centaur. minor. an. Mß. sem. Anisi Faniculi, carvi. àn. ʒiij. fursur. tritic. in linteolo ligati. flor. Chamæm. anethi an. p.j. Fœnum Græc. fol. Senn. ʒij. concisa & contusa coq. in q.s. aq. ad medias, colati juris accipe ℔j. cui admisce Hier. simpl. Diaphœnic. an. ʒvj. ol. absinth. Chamæm. an. ʒj, ß. Salis commun. ʒj. F. Enema, quod tepidum ano infundatur.* Confert & vomitus ex ʒvi. aq. junip. per descensum. destillat. Detracta è ventriculo, intestinis, & venis Mesaraicis hac ratione pituita, si corpus sit plethoricum, aut si pituita putrescens in Venis sit Salsa, serosa vel acida venæ epaticæ dextri lateris fiat incisio (in crassa enim pituita vena secari non debet) sed sanguis minimè copiosè detrahatur. ʒv. nimirum detraxisse satis erit, post sectam venam, si pituita sit tenuis, levioribus, si verò crassa fortioribus remediis concoquatur & ad evacuationem præparetur. Leviora remedia sunt hæc sequentia. ℞ *Radic. Asparag. Graminis, Faniculi, Glycirri. an. ʒß. sem. Anisi fænicul. an. ʒiij. capill. Vener. Beton. an. mj. cinam. ʒij. pass. minim. ʒj. concisa & contusa cum aq. ℔iij. in duplici vase coquantur ad ij. horas,* Deinde per se refrigerata colentur, colati juris mane ac vesperi pro singulis vicibus accipiantur

Præstantior aq. Emetica ex mdicibus Raphani & nucum juglād. viridibus cum aceto Vini destillatur.

Nota de tertia sectione.

Potio præparans lenior.

cipiantur ℥ iiij. ejusq. admisc. vel *oxymel. simpl vel Syr. bizant. vel Syr. de duabus radic.* ℥ *j ß.* F. Haustus, qui per 6. & 7. dies tepidus usurpetur donec signa concoctionis in Urina conspiciantur.

Si Urina rubicundior & crassior cum subsidentia magis, quàm antea appareat, pituita concocta deinde evacuetur sequenti haustulo ℞ *Diaphanic. Diacathol. an.* ℥ *iv. Aq. absinth.* ℥ *iij. commisc. F. Haustus*, qui tepidus mane horis, 6. ante prandium ebibatur.

Præsentium Remedium non est quâ pill mercurialium à præparata materiâ usus.

Fortiora remedia pituitam magis crassam & contumacem ex tenuantia sunt, ℞ *Rad. apÿ, fenic. petrosel. pimpinel. Dauci cretic. an.* ℥ *iij. sem. anisi, fenic. an.* ℥ *ÿ. herbar. hysopi cardui benedicti Origani, Rosismar. pulegij flor, centaur. minor. an. M ß. absinthÿ p. j. passul. minim.* ℥ *j. Cinamom.* ℥ *ÿ. Zingib.* ℥ *j. Agaric. Trochisc. in linteol. ligati* ℥ *ÿ. fol. sen.* ℥ *ß. concidenda concidantur & contundenda contundantur atque in cantharo cum* ℔ *iiÿ. aq. coquantur ad 2. horas & expressa colentur*, Colati juris mane ac vesperi accipiantur ℥ iiij. eisdemque admisceantur *Syrup de 5. radicibus aut oxymel. scillit. aut Syrup. de Eupatorio* ℥ *j. ß. F. Haustus* Pro singulis vicibus: quo tepido mane ac vesperi utatur æger, donec concoctionis signa appareant. Hæc potio egregiè concoquit & simul pituitam concoctam sensim evacuat, verùm si alvus ab hac potione concitatior reddatur *Agaricus & Sena* omitti debent, & reliquis utendum.

Sufficere potest hoc infusum, ℞ Diacart. fol sen. an. ℥ iÿ. Zing. ℥ j in fundo per noctē in aq centaur. min.

Extenuata & concocta pars pituitæ subducatur sequenti haustolo ℞ *Agaric. Trochisc.* ℥ *iiÿ. fol. sen.* ℥ *j. Zingeb.* ℥ *j. Spicæ Indicæ* ℈ *ß. contusa macerentur in aq. cardui benedicti aut centaurei minoris* ℥ *iv.* per horas 24. quæ post calefactionem ad fervorem usque exprimantur ac colentur,

lentur colato jusculo admisce *Diacarth. Diaphæn. an.* ʒ *j. ß.* F. Haustus, qui 6. horis ante prandium tepidus exhibeatur, Aut purgetur concocta pituita sequentibus pilulis.

mane cola & iterare ad- de Spir. Vitriol. gr. ij.

℞ *Mass. pilul. assaiereth. Agarici Trochiscat. an.* ʒ *ß. Trochiscati alhandal. gr. iij. salis gemmei gr. ij. ex quibus cum melle rosac. formentur pilul. num. 15.*

Avicenna sequentem pulverem in subducenda *pituita* putrescente vehementer commendat.

℞ *Turbith. optimi* ℈ *ij. Zingib. Mastich. an.* ℈ *j. Sachar. albissimi* ʒ *j. Misce. F. pulvis* & propinetur cum haustu hydromelitis.

Idem præstat ʒ *j. pilular. de Agarico.* Quia vero pituita crassa putrescens in Quotidianis febribus simul & semel vel æqualiter tota nec concoqui nec vacuari potest, præscripta remedia & Concoquentia & Evacuantia iterum reiteranda erunt. Cum autem pituita falsa tenuis sit & instar Tertianæ extensum exciter calorem, ea sequenti potione ad evacuationem præparari & nonnihil condensari commodè poterit.

℞ *Radic. Asparag. Gramin. Endiu. Cichor. an.* ℥ *ß. Glyzirrizæ* ʒ *ij. Semin. 4. frigidor. major. an.* ʒ *ij. Semin. acetosæ plantagin. an.* ʒ *j. ß. Capill. vener. Plantaginis cum radicibus, Agrimon. an. M. ß. passul. minim. Tamarind. an* ℥ *ß. Cinamomi* ʒ *j. concoquantur cum* ℔ *iij. Aq. in duplici vase, refrigeratæ colentur & colato liquori admisce syr. de endiu. bizant. acetosc. citr. an.* ℥ *ij. F. Potio* de qua mane & vesperi exhibeantur ℥ *v.* tepidæ, exhausta hac potione expurgetur falsa pituita sequenti haustulo. ℞ *fol. sen.* ʒ *ij. Agar. Trochisc. Rhabar. an.* ʒ *ß. aq. Cardui benedicti* ℥ *v.* macerentur simul per 24. horas deinde ad fervorem calefiant & expressa colentur, colato juri admisce *Syrup. rosac. solut.* ʒ *j. Dia-*

cartham. ℥*j*. F. Hauſtus qui mane 6. horis ante prandium exhibeatur, deinde Corroboretur Ventriculus & Epar aut *Arantior. condit. corticibus aut Chebulis cond. aut rotulis diarhodon. Abbat.* ante cænam & prandium devoratis, confert & talis Pulvis qui. ℞ *Corall. rub. præp.* ℥*j. Cinam.* ℈*iiij. Marg. præp.* ℥*ß. ſantal. rub. lign. Aloes, Maſtich. an.* ℈*j. ſacchar. alb.* ℥*ß. fiat Pulvis* de quo bis in die ſumatur, foris verò regio Ventriculi & Spina dorſi & hypochondria mane & veſperi inungantur ſequenti linimento. ℞ *Ol. abſinth. è maſtich. nard. an.* ℥*ij. quibus admiſce ceræ albæ q. ſ. F. Linimentum*, deinde admiſce quoque guttul. 9. ol. vitrioli, Commodè quoque præſertim ubi craſſa ſit pituita exhiberi poteſt ſemel in octiduo ℥*j. Theriac. Andromachi.*

Si autem Quotidiana ex acida pituita putreſcente, quæ tenuis eſt & frigida inſtar Melancholici humoris, ſit excitata, cujus ſigna ſunt acidæ eructationes, alvi obſtructio, dolor frontis & Hypochondrij ſiniſtri, urinaquè alba & tenuis, ut anteâ diximus, Quæ febris niſi ſcitè curetur tranſit in Quartanam & non caret periculo.

Ideo ſtatim in initio ſi corpus eſt plethoricum, ſanguis ex Vena epatica ſiniſtri lateris detrahatur, & altero die vomitio excitetur, aut vino, in quo cortic. Radic. jugland. ſunt macerati & cocti. aut cum hauſtulo aq. Juniperi per deſcenſum deſtillatæ. Deinde præparetur acida pituita ad evacuationem ſequenti potione. ℞ *Radic. Aſparag. Fœnic. Cichor. Polypod. Glyzir. ana* ℥*iij. Sem. Aniſi Fœnic. ana* ℥*ij. Herb. cetrah. capill. ven. Fumar. an. M. j. Fl. Thymi Centau. min. ana M. S. Paſſ. mi* ℥*j. Cinamo.* ℥*j. ſ.* conciſa in duplici Vaſe cum ℔ iij. ſeri lactis caprini ad duas horas coquantur, Refrigerata colentur, colato Juri admiſc, *Oxymel. ſimpl. aut ſyr. acetoſit. aut Syr. Fuma.* ℥*vj. F. potio.* Tandem appa-

In enormibus obſtructionibus præſertim Melancholicis ſemper ex Tartaro Medicina miſceri de-

apparentibus ſignis concoctionis evacuetur acida pituita ſequenti hauſtulo: ℞ *Elect. Diacathol.* ʒx. *Reſolvantur in* ℥v. *aq. card. Bened. aut centau. mi. F. Hauſtus*, qui 6. horis ante prandium tepidus ebibatur. Deinde corroboretur ventriculus aut rot. Diarhod. Abb. tribus, ante cænam & prandium devoratis, aut cortice citri condito & inungatur foris oleo Maſtich. & Nard. cui parum Aceti roſa. ſit admixtum. Poſtea ſemper ante paroxiſmum exhibeatur aliquod remedium, quod ſpecifica ſua proprietate febri adverſatur, quorum præcipua & magis experientia comprobata remedia paulò poſt recenſebimus. Præter has ſpecies pituitoſarum febrium & Quotidianæ naturam æmulantium, ſuperſunt adhuc duo genera, quæ febres ſunt Symptomaticæ, quarum altera ex cruda pituita, quæ ex corruptis alimentis in ventriculo generatur, & febris cruditatis nominari poteſt: Altera verò excitatur ab excrementis pituitoſis, quæ ex cerebro ad ſubjectas partes defluunt & febris catharralis nominatur, quarum ſigna manifeſta ſunt, nimirum ventriculi gravitas & dolor, & catharrus in gulam decumbens, Utraque autem curatur remotione cauſæ, & cruda quidem pituita ex ventriculo vomitorio hauſtulo; defluxio autem cerebri averſione pituitæ & ſubductione per palatum cum Gargariſmatibus. Et crudæ quidem pituitæ Ventriculi, curationem in tractatu de Morbis Particularibus de curatione cruditatis ventr. tradidimus, ſimiliter & catharri curationem, quæ loca huc transferenda ſunt. Demum ante paroxiſmum exhibendum erit aliquod remedium quod ſpecifica proprietate pituitoſis febribus in univerſum adverſetur, quorum nobiliora & experientia comprobata paulò poſt ubi omniũ febriũ pituitoſarũ curationẽ abſolvimus, ſubjiciemus.

Febris ex cruditate.

Ex catharro.

Epiala Febris quid, quæ ejus causæ, signa & ut curanda.

Epialas. Galenus Epialam ad continuas refert.

Ἠπίαλος πυρετὸς. Est ex genere pituitosarum febrium & Quotidianarum intermittentium, in qua interiora viscera vehementer frigent, exteriores verò partes calent, & exuri sentiuntur, vel in qua simul corpus alget & calet.

Pituita Vitrea non putrescit. Quomodo existat illa Febris?

CAUSA ὠσηγὸς. Epialæ febris est vitreus seu albugineus humor, qui omnium qui in corpore generantur præternaturalium humorum est frigidiss. & glaciei similis, & ideò per se non putrescit, nec totus nec ejus aliqua pars, (ut multis videtur) febrim excitare potest per se, sed per accidens videlicet obstruendo & adfluentem Chylum corrumpendo; generatur autem vitrea putuita in viscerum aliqua cavitate, ut ventriculi, Intestin. & porta vena, rarissimè verò in meatibus cerebri; *Collecta in Intestinis non febrim sed colicum eumq; acerbissimum dolorem infert*, In cerebri meatibus si colligatur aut Lethargum sive veternum aut Apoplexiam inducit.

Ubi verò in ventriculo aut porta vena concrescit febrim Epialam excitat. προκαὶ: Causæ sunt alimenta frigida & corruptioni obnoxia, diuturnaq; in frigido aëre aut aqua, mora, & conversatio.

SIGNA Epialæ sunt extensi frigoris sensus in internis visceribus & calor præternaturalis in externis partibus, urina cruda est & aquosa, calor etsi præternaturalis, mitis tamen est, per totum corpus diffusus, acris autem & vehemens in manuum volis & pedum plantis. *Prognostica*, Erratica est hæc febris, quosdam enim quotidie, quosdam tertio, quosdam quarto, quosdam etiã longioribus intervallis affligit, Ventriculus omnium maximè in Epiala afficitur,

citur, ejusq; vires prosternuntur; Ideo non caret periculo nisi tempestivè succurratur.

Curatio in victus ratione, vitrei humoris per fortiora remedia incisione, concalefactione, extenuatione & evacuatione, consistit, & ventriculi. corroboratione Venæsectio minimè est tentanda in febre epiala, Alimenta commodè aromatibus calefacientibus & incidentibus condienda erunt, & omnia refrigerantia, maximè autem fructus horarij studiosè fugienda, potus erit aut Hydromeli aut vinum plenius ac forte Rhenanum: in principio curationis eluantur Intcstina & subtrahatur pituita ex ventr. & venis Mesar. acri Clystere hac ratione parato. ℞ *fl. centaur. mi. Absinth. chamæ. Anethi, Melilo. ana. m. ſ. Mentæ, Scordij ana. M. 1. sem. Anisi, Fænic. an. ʒiij. Carthami* ℥ *ſ. concoquantur in q ſ. aq. ad tertias*, & in fine cum eisdē ebulliat *pulpæ colocinth. in linteolo ligati* ℈ *j.* colentur & colati Juris *accipe* ℥ *x.* In quibus dissolve *Diaphæ, Hyer. simpl. ana* ʒ *vi.* ol. Absinth. Anethin. ana ℥. 1. ſ. salis 3i. F. Clyster, qui per Siphonem recto intestino infundatur tepidus; Altero die provocetur vomitio, aut cum ℥ vi. aq. Junip. per descensum destil. aut cum hausſt. vini in quo rad. Jugl. sunt per noctem maceratæ & ebullitæ. Præclarè enim per vomitum pituitosam colluviem è ventriculo exturbat. *Vomitoria.*

Deindè ventr. subinde corroboretur ante cænam & prandiū ventr. inungendo sequenti Linimento. ℞ *Ol. Absinth. Menthæ, Nardi. an. ziij. ceræ q. s. F.* Linimentū cui admisce *gutt. vj. ol. vitr.* Intra corpus autem exhibeatur bis per hebdomadam ʒ *j. Ther. Andro. cum vino* aut devorentur ante prandium ac cœnam *iij. rot. Diatrionpip. Aut Diacalamenth.* Tandem incidatur & extenuetur vitrea pituita sequenti potione. ℞ *Hyssopi, Calamenth. Origani, Thymi, Satureiæ,*

Insignis hic Spiritus Nitri in aqua Juniperi.

tureiæ, Stœchad. Rorismna. Centau. mi. Card. Bened. ana M. s. Rad. Pimpin. Dauci Cretic. an. ʒiij. zinz. ʒ. ij. cinam cardam ana ʒ*j.* contusa & concisa coquantur in duplici vase *cum* ℔ *4. vini Rhena.* per ij. ho: Refrigerata colentur & colato liquori admisc. *oximelis cillit. Syr. è calam. ana* ʒ*. 4. F.* potio de qua sumantur manè ac Vesperi ʒ*. 4.* exhausta potione subducatur pituita qualitercunq; concocta validiore cathartico ut ℞ *Mass. Pill. Hyer. Galen. Troch. de Agar. ana* ʒ *s. Diagrid. gr. iij formentur pill. num. 15.* quæ in aurora devorentur sex horis ante prandium. Aut ℞ *El. Diaphæ. Diaturbit. Benedict. laxativ. ana* ʒ *ij. Aquæ cent. mi.* ʒ *iiij.* commisc. F. haust. tepidus sex horis ante prandium ebibendus. Quia verò contumacior sit pituita Vitrea quam ut semel incidi, concoqui, & evacuari queat, ideò præscripta remedia & Clyster crebrius repetenda erunt. Verùm cum nostri Boreales homines crebras Syruporum medicamentorum potiones plurimum aversentur, & si paucis remediis non statim liberentur, Medicum deserant & artem ejus calumnientur: ego loco potionum exhibere soleo manè ac vesperi ʒ *ij. aq. cremabilis ex granis juniperi per ascensum destillatæ. paucosacch. dulcoratæ aut guttas. 9. plus minus pro ratione Virium Ol. Vitri. cum iij. cochlearibus Vini generosi,* quod non tantum crassam & Vitream Pituitam incidit & concoquit, verùm etiam putredini & paroxismis febrilibus resistit. Verùm ventriculus in hac febre subinde corroborandus & calefaciendus est, devoratis ij. aut iij. *rot. Diatriopiperion, aut Diacalam,* & foris crebrò inungendus *cum Ol. Nard. & è Menta,* Quibus & nonnihil *aquæ Juniperi cremabilis* sit admixtum; Apparente signo concoctionis & consistentibus viribus deduci æger potest in balneum aquæ dulcis, in qua concocta sunt *Menta; Calamenth. Absinth.*

Nota.

℞

grana

grana juniperi contusa & flores Chamæ. prodest quoq; per Hebdomadam semel exhibere ʒ *j. vel Ther. Andro. vel Aureæ Alex. cum vino generoso.*

Ἀκπυρία *Febris Quid, Quæ ejus causa, signa & curatio.* *Lipyria.*

Ἀκπυρία & Græcis & Latinis nominatur Febri Epialæ contraria, in qua interiora viscera calore exuri, exteriores verò partes vehementi frigore rigere sentiuntur. Ut autem rarissima est hæc febris, ita valde est pernitiosa testificante *Hipp. 4. Aph. 48. In febribus*, inquit, *non intermittentibus si exteriora frigent & interiora uruntur & sitim habent lethale est.* Quam sententiam *Gal.* de causone & Lipyria febri interpretatur. *Lipyria ut plurimum pernitiosa.*

CAUSAE. De causis Lipyriæ non consentiunt autores, alij enim bilem flavam, alij pituitam, alij Melancholiam putrefactam in internis visceribus inflammationem magnam excitare statuunt. Nos eam ad pituitosarum febrium species referimus, causamque ejus προηγουμένως. Pituitam putrescentem non quidem simplicem, sed bile flava putrescente perfusam & in meatibus viscerum impactam esse constituimus: & quidem in ejusmodi corporum constitutione, in qua extremæ Venæ & Arteriæ crassâ pituitâ ita infarctæ sunt, ut Vapores & fumi in corde inflammati ad partes exteriores transire minimè queant, sed ad viscera reverberentur ut flamma in clibano clauso. Quæ inflammatio allicit ad se ab exterioribus partibus & sanguinem & spiritum vitalem, & inde necessariò exteriora frigent; concedimus quidem Lipyriam nonnunquam consequi etiam phlegmonas & Erysipelata viscerum, sed non perpetuò.

SIGNA sunt Urina livida & tenuis, cutis ac faciei color lividus, interiorum viscerum & præcordiorum intollerabilis æstus, linguæ ariditas & nigrities, & externarum partium continua frigiditas.

CURATIO. Præstat huic pernicioſæ febri Medicum manus non admovere, ſi autem omnino curanda ſit & remediis quidnam tentandum, intra corpus quidem refrigefactioni & putrefactioni adverſantia ſunt adhibenda; Extra verò poſt partium frictionem calefacientia & poros aperientia ſunt inungenda & applicanda. Refrigerat autem & putrefactioni reſiſtit potio *ex ℥ iij. Syr aceto ſ. citri aut Viola. cum ℥ xij. aq. Cardui Benedicti* mixtis & crebrò bibita. Poros verò aperit & exteriora recalefacit *Oleum Anethi & Irini ana ℥ s. cui ʒ j. ol. Vitr. aut ʒ ij. aq. Juniperi cremabilis* ſunt admixtæ. Hæc de pituitoſarum febrium curatione Tyronibus Medicinæ obſervaſſe ſatis eſſe judicamus. Nunc reſtat ut pauca remediorum genera, quæ tum primis qualitatibus ſuis, tum latentibus proprietatibus omnibus pituitoſis febribus auxiliari experientiâ didicimus, ſubjungamus. Poſt concoctam & evacuatam putreſcentem pituitam, quod una vice ut diximus perfici non poteſt, Præſtat ſemper una hora ante paroxiſmum gutt. 9. aut 11. uſq; ad guttas xv. pro ratione virium & ætatis *ol. Vitr. aut tinctura corall. cum tribus aut quatuor cochlearibus Vini exhibere;* Quæ non tantum in pituitoſis ſed & in aliis febribus â putrida humorum colluvie ortis plurimũ confert: Concoquit enim & abſumit putreſcentem materiam, omnes obſtructiones tollit, ſitim ſedat & febribus ipſis occulta qualitate reſiſtit. Utiliſſimum quoquè eſt *ʒi. aut pul. herb. Card. Benedict. cum radicibus* aut ſequentis pulveris noſtri cum tepida cereviſia quinquies ante paroxi-

Addito ſpiritu Sulphuris & nitri.

Empirica.

Pulvis Card bened.

roxiſmum exhibere. ℞ *folia cardui Benedicti Viſci quercini, flores centauri, mi. ana* ℥ iiij *Coral. rub. cor cervi uſti ana* ℥ *commiſſ.* F. pulvis & in quinque partes dividatur. Aut exhibeantur ante paroxiſmum ℥ ij. *ſucci Eupatorij officinarum cum* ℥ ß. *Mel. roſa.* mixti. Foris autem prodeſt omnibus pituitoſis febribus ſpinam dorſi, carpos manuum & plantas pedum *ol. ſcorp. cui aqua Juniperi cremabilis ſit admixta* ante paroxiſmum inungere, Quin & *Burſa paſtoris viridis* & contuſa *cum pauxillo aceto* carpis manuum impoſi poteſt. Arabes plurimum commendant *vivam araneam* quam maximam & albicantē ſindone occluſam collo vel carpo ſiniſtro alligare, quæ latenti proprietate febribus quibusvis adverſatur, idem præſtant *telæ Aranearum cum aqua Roſa.* contritæ & inſtar cataplaſmatis temporibus & carpis applicatæ. In pituitoſis febribus. *9. grana piperis* nigri ſingulis diebus jejuno ventriculo devoraſſe plurimis profuit.

Succus Eupatorij.

Topica.

Aranea.

Piperis grana.

De Febrium Bilioſarum Curationibus.

Ex Bilis flavæ putreſcentia quæ ſpecies Febrium accendantur.

Febris bilioſæ.

Quanquam Bilis flava, cum ſua Natura ſit tenuis, ſicca, acris & amara, per ſe non putreſcat, ſed putrefactioni plurimum adverſetur, tamen Bilis in Venis contenta & cum reliquis vitiatis humoribus commixta, ſi ſua copia reliquis vitiatis humoribus commixta, naturam propriam exuit, & ſimul cum putreſcentibus ſanguine & pituita corrumpitur & putreſcit ex cujus putredine acres & ardentes vapores elevati cor

Quomodo bilis putreſcat.

ipsum inficiunt & ardentissimas excitant febres. Sunt autem biliosarum febrium species, *Ardens sive Tertiana continua, Tertiana intermittens, Tertiana duplicata & semitertiana.* Medici Tertianas Febres prima divisione partiuntur in Tertianam sinceram exquisitam seu puram, quam ex pura & sincera bile flava putrescente oriri ajunt, & in spuriam, notham impuramq; Tertianam quam ex miscellanea pituitæ putridæ & Bilis flavæ generari scribunt; Nos hanc divisionem consultò negligimus, certum siquidem est bilem flavam sinceram & puram in corpore non reperiri, sed aliis humoribus mixtam, nisi in sua capsula & ut antea diximus, Bilem per se & sine mixtura sanguinis & pituitæ putridæ minimè putrescere posse, Unde nec pura Tertiana aut exquisita dari potest. Et bilis flava per se etiam si in corpore redundet, ut in Icteritia febrim generare nequit, nisi putrida colluvie aliorum humorum mixta. Quod autem in omnibus Tertianis & ardentibus febribus unà cum bile & sanguis totus vitietur & assetur, & pituita una putrescat, ex cruore ex venis detracto perspicuum est, cujus superficies ut plurimum cinerica pellicula contegitur, quæ sanguinis cum pituita admistionem significat, & in pelvis fundo pituitosa mucago innatat. Item quod in Urinis ardenter febricitantium si per noctem in matula retineatur, matulæ parietibus retorridus sanguis instar arenæ rubeæ aut subflavæ tenacissimè adhæret, Quam vulgus Renum calculum falsò esse judicat & pronunciat, Et quod in evomitionibus biliosis unà mixta pituita conspiciatur, manifestissima sunt indicia bilem non sinceram sed unà cum sanguine & pituita putrescere: satis itaq; arbitramur si Studiosi Febres Tertianas distribuant in Tertianam continuam sive ardentem, & in Tertianam inter-

intermittentem, ex earumq; curandi ratione reliquas ſpecies bilioſarum febrium perſanandas diſcant; Nos itaq; inter ardentem & Tertianam continuam nullam ponimus differentiam niſi extenſionem ac remiſſionem caloris febrilis & ſymptomatum. Extenſiora enim ſunt & acutiora in ardentibus febribus, quàm forſan in continua. Aliàs utraq; ex iisdem cauſis excitatur, eadem adfert ſymptomata, & iisdem curatur præſidiis.

Ardens ſive Tertiana Continua Febris Quid, Quæ ejus cauſa, ſigna & quomodo, quibusve remediis curanda.

Καῦσος, ardens febris ut dictum eſt, eadem eſt cum Tertiana continua, & noſtris die Breune dicitur. Eſt autem Tertiana continua ſive ardens, quæ etſi tertio quolibet die exacerbetur & novum inferat paroxiſmũ, tamen quieti tempus nullum remittit, ſed patientem continuè affligit & moleſtat, donec ſoluatur, materiâ putreſcente conſumptâ. *Cauſus.*

Causæ προηγ. Sunt Bilis flava in maſſa ſanguinea redundans & cum admixtis humoribus putreſcens, cum exaſſatione ſanguinis & corruptione pituitæ. Προκαταρκτικαὶ ſunt alimenta impensè calefacientia & extenuantia bilemq; flavam generantia, aëris continuus æſtus, laborioſæ corporis commotiones, vini meracioris crebra ingurgitatio, immoderata Venus & ſimiles. *Cauſæ.*

Signa ardentis ſeu continuæ Tertianæ febris ſunt intolerabilis æſtus & ſitis, continuus vehemensquè capitis dolor, linguæ inſtar ligni aridítas, aſperitas & nigrities, Vigiliæ continuæ, interdum tamen ſi adſit cru- *Signa.*

ditas, somnus adest profundus; accedit nonnunquam delirium, pulsus arteriarum parvus & velocissimus, Urina crassa & turbida propter humorum ebullitionem, colore flammea aut crocea, & si linteolum in ea madefiat, acquirit roseum colorem. Signa autem præsagientia hæc sunt. In causo & ardentibus febribus, adeoquè in gravioribus morbis omnibus, si jam vires sunt prostratæ, & sequentia incidant symptomata, crebra anxietas, delirium diuturnum, pudoris integendis obscœnis partibus neglectus, sudor frigidus circa frontem & claviculas, convulsiones, floccorum carptio, tegumentorum complicatio, loci subinde mutatio, extremarum partium & respirati aëris per nares frigiditas, item Urina pauca & nigra, & excrementa instar fecis dissoluta & liquida, & paucæ guttæ sanguinis è naribus erumpentes, sunt certissima indicia præsentis mortis, & tum præstat Medicum à curatione manus abstinere. *Prognostica lethalia.*

Si καῦσος sive Tertiana continua in biliosam naturam incidat, & vires sunt debiles, quarto aut sexto die ægrũ extingui nisi à Deo miraculosè conservetur, necesse est. In febribus ardentibus maximè si corpus sit pletoricum, & cervix, aures & genæ præter consuetudinem rubeant, naresq; pruriant, eruptio sanguinis è naribus exspectanda erit, quæ si die critico accidat, & copiosè profluat, salutis spem promittit; & in omni ardenti febre si vires sint moderatæ, septimo die critica evacuatio superveniens, ut sanguinis è naribus effusio, aut copiosus sudor aut biliosa evomitio aut alvi excretio febrem solvit. Si verò ardens febris ultra septimum diem provehatur, Phrenitis est metuenda. *Prognostica salutifera.*

Ictericia in ardentibus

tibus febribus ante septimum diem oborta lethale est signum. 4. Aph. 62.

CURATIO ardentium febrium consistit in victus ratione, biliosæ colluviei evacuatione, sanguinis detractione, æstuantis caloris & aliorum symptomatum mitigatione & virium corroboratione. Priusquam autem methodica curatio instituatur, in principio, viribus adhuc non omninò prostratis, alvus & venæ Mesaraicæ à fecibus & biliosa colluvie eluendæ & evacuandæ erunt sequenti Clystere. ℞ *Uiola. Lactuca, Malv. Cichor. Rostri porcini (alias caput monachi) ana M. 5. sem. 4. frig. ma. ana ʒij. concisa coquantur in q. s. seri lactis ad tertias colentur, colati Juris accipe ʒxiij. In quibus dissolve pulpæ Cass. ʒj. El. lenit. ʒ5. ol. violarum ʒiij. salis ʒj. F.* Enema, quod tepidum recto Intestino infundatur. Postero die si nihil obstiterit, nec vires sint prostratæ & corpus sit pletoricum, sanguis è Vena Epatica dextri lateris subtrahatur ad ʒ usq; 8. aut plus minus pro ratione temperamenti, & non ut *Galeno* placet ad animi deliquium usque. Sanguinis autem detractio per vices debet fieri, suppresso vulnusculo & rursum aperto. Deinde ubi lingua nigricet & Venæ sub lingua sitæ commodè incidi possunt, in quibuscunquè corporibus. At ubi corpus extenuatum & natura bilosum est aut vires sunt debiles, sectio Venæ in humero penitus est omittenda. Post sectionem Venæ præscribatur ægroto Victus ratio refrigerans & humectans; decumbat itaquè æger in loco frigido, qui si naturâ haberi nequit, arte talis efficiatur, crebrâ aquâ frigidissimâ per pavimenta consperſione, & frigidarum herbarum florumque quales sunt *folia Salicis, pampini seu Vitium folia, Nymph. gramina aquâ consperſa, flores Rosarum* per solum consperſione, circaque lectum

lectum fiat *aq. rosa.* Consperſio. Lecto decumbat æger ſatis amplo, ut de uno loco concalefacto in alium frigidum ſe convertere & collocare queat. Subſternenda quoq; in lecto ſunt linteamina mundiſſima, quæ ſæpè renovari debent. Quia verò plumæ calefactæ æſtuans corpus magis inflammant, inter ſtragulam & linteamina pellis ſive aluta tenuiſſima interponi poteſt. Similiter & capiti cervicalia ex pellibus facta ſubjici debent & ſæpe inverti. Quin & aër corpus ægri ambiens & ipſum corpus æſtuans flabello excitato ventulo refrigerari debet. Cibi ſint cremor ptiſanæ, grana hordei excort. & in juſculo pullorum cocti, *lac ex 4. ſem. frig. & ſem. papav. cum ferventi aqua confectum* pullorum juſcula cum uvis immaturis cocta, & caro avicularum, ex piſcibus percæ aculeatæ cum aceto vini coctæ, ex pomis acidis pulmenta ſaccharo condita, pruna acida & ova ſorbilia ex ovorumquè luteis & cereviſia confecta juſcula. In potu utatur *æger aqua hordei mundati M. I. Glyc. raſæ & contuſæ* ℥ 5. *Aniſi* ʒ ij. *cinamo.* ʒ j. *paſſ. m.* ℥ j. affunde aquæ puriſſimæ congium ſemis ſive pocula duo, coquantur in cantharo per ij. horas. His ita ſtudiosè ordinatis bilioſa colluvies evacuetur ſequenti hauſtu. ℞ *Rhab. el.* ʒ j. 5. *Fol. ſenæ ſine ſtipitibus* ʒ j. *ſe. Aniſi* ℈ j. *contuſa macerentur per noctem in* ℥ v. *aq. Cicho. Manè expreſſa colentur, colato liquori admiſc. aut* ʒ ij. *El. Roſa Meſ. aut* ℥ 5. *Mannæ aut* ʒ. vj. *pulpæ caſſ. rec. exp. F. Hauſtus*, qui ſex horis ante prandium calidè ebibatur. Aut ℞. *Rhab. el.* ʒ ij. *Fol. ſenæ* ʒ j. 5. *cinamo Aniſi an.* ℈ j. contuſa ligentur in Syndone F. nodulus laxus, qui per noctem in aqua Cardui Benedicti aut Cichor. ℥ v. maceretur. Aut in hauſtulo cereviſiæ claræ imponatur & ſummo mane nodulo expreſſo liquor per ſe ebibatur, aut eidem ℥ ij. *Syr. Roſa. Sol.* admiſce. F. Hauſt.

Incoqui etiam poteſt in petia Cornu Cer. rectè in hac febre divinum medicamentum.

F. Hauſt. Delicatiores qui à commixtorum remediorum uſu abhorrent, veluti ſunt pueri, virgines & illuſtres fœminę ſequenti aqua ſtillatitia commodiſſimè purgari poſſunt. ℞ *Rhab.* ℥ ij. *folior. Sennæ* ℥ j. *ſem. carthami* ℥ ſ. *Mercur. M. ij. Cinamo.* ʒ j. *Aniſi* ʒ ſ. contuſa macerentur per diem & noctem *in aquis Cicho. Centau.mi. Card.Benedict.an.* ℔ ſ. Deinde è vitrea cucurbita ferventi arenâ impoſitâ deſtillentur & omni liquore extracto feces eximantur & reſiccentur minutimquè conterantur, Quibus liquor extractus rurſum admiſceatur & iterum per diem & noctem macerentur, denuoque in arena deſtillentur ejusq; limpidiſs. aq. ℥. iij. aut 4. plus minus pro ratione ætatis & virium exhibeantur & ſi æger non adverſetur admiſceri poteſt *Mannæ* ℥ ſ. *vel* ℥ j. *Syr. roſ. ſol.* Et præſcripta quidem catharctica omnia, quia ſunt leniſſima ad evacuationem bilioſi humoris quinto quoquè vel octavo die ſi expoſtulat neceſſitas, reiterari poſſunt. Robuſtioribus verò corporibus exhiberi poteſt ſequens hauſtus ℞. *Syr. roſ. ſol.* ℥ iij. *Diacathol.* ʒ iij. *Diaphæ.* ʒ j. *Aquæ Lactucæ in qua Tamarind.* ℥ j. per noctem eſt macerata, deindeq; expreſſæ ℥ v. Miſce F. Hauſtus, Evacuata hac ratione ſenſim putrida colluvie omnis cura in extinctione caloris febrilis, Symptomatum mitigatione & Virium corroboratione collocari debet, Quæ per ſequentia remedia cum intra corpus exhibenda, tum foris applicanda feliciter perfici poſſunt; calorem febrilem extinguit, furorem bilis compeſcit & ſimul vires corroborat ſequens potio crebrò pitiſſando aſſumpta. ℞ *Aq. Card. Bened. Cicho. an.* ℔ ſ. *Suc. citri acidi aut granatorum* ℥ ij. *Suc. arantiarum* ℥ j. *Syr. acetoſ. citri ritè parati aut ejus loco Rob. è ribes* ℥ ij. *miſceantur F. potio. Vel* ℞ *Aq. uvarum imm.* ℥ vj. *Syr. Corall.* ℥ ij. *Corn. ceru. præp.* ʒ j. *Saccb. nitri*

Aqua deſtillata purgans.

Hauſtus purgans in robuſtis.

nitri ℈ ij. *spir. sulph.* ʒ j. *Misce.* Similiter æstus febrilis sequenti potione extingui potest. ℞ *Rad. Endi. Cicho. Bugl. Nymph. ana* ʒ j. *Hord. mundati M.* 5. *Conf. Ros. Viol. Nymph. an.* ʒ j. *Se. Lactucæ portul. Acetosæ. an.* ʒ ij. *Radicibus* & seminibus contusis in duplici vase coquantur *cum* ℔ 4. *aq. purissimæ* per 2. horas Refrigerata colentur & colato Juri admisc. *Syr. Acetos. citri Viola. ana* ʒ ij. vel pro arbitrio ad palatum patientis F. potio, qua frigida sæpe utatur: vel aq. hordei superius præscriptæ ℔ ij. accipe & fervefactam per *conservam Rosarum & Nymph.* percolato. F. potio. Vires in ardentibus febribus corroborari & refici possunt sequenti Elect. nucis avellanæ quantitate crebro assumpto. ℞ *Pyrorum Moscatell. condit. & minutissimè concisorum conf. Ros. Borag. Bugl. Nymph. an.* ʒ 5. *Sp. Diamargæ. frig.* ʒ ij. *pul. Coral. rub. præp. Marga. præp. an.* ʒ 5 *cum q. s. Syr. acetos. citri F. Elect.* Foris verò ferventi ægrotantis corpori sequentia Topica remedia applicari felici successu possunt, carpis manuum imponatur catapl. ex fol. & radicibus Bursæ Pastoris cum pauxillo aceto contusis. Aut ex herbæ Senecionis aut semperviva contusa cum aceto. Spina dorsi stomachus & utraq; Hypochondria bis quotidie inungantur sequenti Linimento. ℞ *Ol. Ros. viol. Nymph. an.* ʒ. ij. *citon.* ʒ. j. *cera candida q. s. F.* Linimentum quod ter eluatur *cum suc. aut aq. ros.* ac deinde eidem Linimento admisce; *Mucag. ex seminibus Psyllij & Citon.* simul contusis *in aceto rosa.* maceratis factæ ʒ ij. F. Linimentum. Quin & dextro Hypochondtio sive Epatis regioni Volisquè manuum & pedum plantis sequens catapl. utilissimè imponi potest. ℞ *Herb. virid. plantag. Acetosæ Senetion. Trifolij acidi, polygo. ana. M. I.* irrorata *aceto rosa.* contundantur contusisquè admisc. nonnihil *far. bord.* F. catapl. quod calefactum in par-

Alia potio.

Confortantia.

Topica.

partibus crebrò immutetur. Mirificè quoq; calorem febrilem à viſceribus ſubtrahit ac mitigat Tincha piſcis viva plantis pedum alligata donec emoriatur, ſi crebrius imponatur, aut loco catapl. regioni Epatis & cordis & carpis manuum applicetur ſequens Epithema duplicatis linteolis exceptum & intra volas paulò tepefactum. ℞ *Aq. Roſa.* ℥iiij. *plantag. Borrag. fl. Nymph. ana* ℥iij. *Aceti roſa.* ℥ij. *Quibus admiſc. ſp. Diamarg. frigid. Diatriſand. an.* ℥.j. ß. *pul. coral. rub.* ℥ß. *Troch. è camphora* ℈j. *F.* Epithema, quod non ſolum præſcriptis partibus refrigerandi cauſa utiliter admovetur, ſed plurimum confert & calorem mitigat ſi linteolis exceptum teſticulis circumponatur. Tempora & coronalis ſutura inungantur *Unguento populino cum aq. roſa. ſæpe loto, vel ol. Roſar. cui pauxillum aceti Roſa.* eſt admixtum. Aut ſequens Epithema iisdem locis imponatur. ℞ *Sem. papa. albi.* ℥j. contundantur iisdemq; admiſc. *aq. Roſa.* ℥. v. *Aceti Roſa.* ℥.i. & ſimul probè agitentur ac percolentur & F. liquor lacteus cui albumen ovi conquaſſatum admiſc. F. Epithema. Et præſcripta quidem remedia dolores capitis mitigant & ſomnum conciliant in febribus. Os verò ipſum & lingua arida & ſiticuloſa creberrimè eluatur aq. fontana eaquè quàm frigida cujus ℔j. admiſc. *Aceti Roſa* ℥ij. Aut eluatur cum *aqua Fragorum Aut aq. fl. prun. Syl.* poſt elutionem oris, Scabræ linguæ illiniatur *mucago ex ſeminibus pſylij & Citon.* confecta, *cujus* ℥ß. *ol. Vitr.* ℈ß. *aut* ℥ij. *Syr. Acetoſ. Citri aut* ℥ij. *Rob. è Ribes* admiſceri poſſunt. Tollunt enim ſcabritiem & humectant oris linguæquè ariditatem. Sitis moleſtiam mitigat crebra maſticatio Trifolij acidi vel acetoſæ vel paſſ. in aceto roſa. macerat. vel Tamarind. vel crebra ſuctio ſu[illegible] ex Arantiis acidis. Reliqua Symptomata febrium ardentium

Tincha viva

Hic Sal prunellæ nihil elegantius.

quibus præsidiis sint tollenda, In fine hujus tractationis de febribus ordine recensebimus.

Tertiana intermittens.

Febris Tertiana Intermittens, Quid, Quæ ejus Species, causæ, signa & qua methodo curanda.

Πυρετὸς τεταρταῖος. Etsi paulò ante monuimus Bilem naturâ suâ non putrescere, nec simplicem & sinceram bilem nisi in Vesicula Bilis reperiri in corpore, & ideò non rectè distribui febrim Tertianam in puram ac spuriam; tamen creberrimè Bilis in bilem præternaturalem convertitur, colorem q; & substantiam suam immutat, & redditur magis rubea aut viridis aut pallida. Substantiâ verò redditur aut justo crassior aut justo tenuior, & mensuram quoque propriam seu quantitatem excedit naturalem; Quoniam ita q; ejusmodi præternaturalis bilis cum putrescente colluvie humorum vel in venis ipsis vel in aliis capacitatibus viscerum commisceatur, vel ad musculos profundatur, varias species Tertianæ febris excitat, & quanto hæc biliosa colluvies crassior existat, tantò diuturniores & periculosiores febres Tertianas profert; Quanto autem ejus copia minor est & substantia tenuior, eò erunt & febres breviores & minus periculosæ: Generatur & in Ventriculo ex alimentis facilè putrescentibus & venenatis biliosa quædam colluvies, quam bilem prasinam sive porraceam vocamus, quæ & ipsa bilis febrem excitat Tertianam continuam sive ardentem, & valde pernicioſa inducit Symptomata, adeo ut nisi vel arte vel naturâ per vomitum ejiciatur brevi interitum inferat. Ita q; biliosarum febrium seu Tertianarum species pro copia & materia præternaturalis bilis & putrescentis colluviei extra Venas

Bilis prasina.

pro-

profusæ, sunt, *Tertiana Intermittens seu simplex: Tertiana duplicata seu semitertiana*, de quibus nunc breviter differemus. Febris Tertiana est, quæ tertio quolibet die, id est, alternis diebus recurrit & hominem affligit, una die inter duos paroxismos quietem relinquens. Febris Tertiana simplex in hisce regionibus borealibus est valde familiaris & frequentissima, quam vulgus salutarem esse judicat, eò quod per eam plurimi vitiosi humores conflagrent & absumantur, & ea est natura hujus febris, ut si in victus ratione æger non delinquat, sola quiete & abstinentia curari queat, & septimum paroxysmum minimè excedat.

Causa προηγ. Tertianæ simplicis seu intermittentis sunt biliosa colluvies putrescens & extra venas profusa & in totum corpus sparsa, aut in certis capacitatibus collecta, in qua humorum putrescentia bilis sua copia excellit: Ventriculus frigidior & Epar calidum; ij enim potissimum qui frigidum habent ventriculum & calidum Epar tali biliosa colluvie infestantur & in Febrem Tertianam incidunt. προκατ. sunt alimenta facilè corruptibilia & Venas Mesaraicas obstruentia, Epar inflammantia & bilem generantia. *Causæ.*

Signa Tertianæ intermittentis sunt; paroxysmus alternis diebus cum vehementi rigore & punctionibus subcutaneis excitatus. In corporibus biliosis paroxismus cum biliosa excretione aut per vomitum aut per alvum invadere consuevit. Tertiana febris ab hora invasionis ultra 12. horas non protrahitur, & ut plurimum cum sudore evanescit, Urina ut plurimum in Tertiana febri aut est crocea aut rubea ac flammea & non nihil crassa, *in quasi primo aut secundo die ab invasione* *Signa.*

sedimentum album & læve conspicitur, paroxismum quartum non excedit: Si verò talis Hypostasis tertio die non appareat, producitur ad septimum paroxysmum. In Tertiana pulsus arteriarum vehemens est & celer; Corpus patientis si manu tangatur, vehemens & mordax calor sentitur, sitis, vigiliæ & corporis jactatio semper comitatur Tertianam Intermittentem.

Diæta.

CURATIO cum in victus ratione tum venæ sectione & remediorum usurpatione eadem est instituenda, quam paulò ante in curatione febris ardentis sive tertianæ continuæ tradidimus; & quidem victus debet esse refrigerans & humectans; in alimento itaq; conveniunt cremor ptisanæ, pruna acida, Juscula & carnes pullorum aut avicularum cum Uvis Omphaceis aut aceto conditæ. Ex piscibus Melanuri sive percæ aculeatæ & cum aceto conditæ solæ conveniunt. Ova quoq; sorbilia concedi possunt & capita oviculorum. Potus erit aqua hord. cum cinamomo cocta cujus coquendi rationem paulo ante descripsimus, quæ præstantior redditur si per *Conf. Nymph. Rosa.* percoletur, aut bibat *aquam Cardui Bened. aut Cichor. cui nonnihil Syr. Acetos. Citri* sit admixtum aut utatur pro potu Lacte *ex quatuor sem. frig. ma. cum aq. Cichor. & Cardui Bened.* & cum sufficienti q. Saccha cand. quod *in Syr. Viola.* condensatum est, facto. In paroxysmis arceatur æger à somno. Si alvus est obstructa Clyst. paulò ante in curatione febris ardentis descripto emollienda erit, ac tandem si corpus sanguine redundet & ætas ac vires tollerant, Vena secetur Epatica dextri lateris: Sed vena in Tertiana febri ante tertium paroxismum non est incidenda, & tum debet Medicus prædicere sequentem, ut vult Rondletius, quartum paroxysmum gravissimum futurum, & si corpus sit ple-

V. S. ante tertium paroxysmũ non instituenda.

plethoricum & febris non ceſſet ſeptimo paroxyſmo, tum Venæ Sectio commodè reiterari poteſt. Poſt venæ ſectionem bilioſa colluvies quæ eſt in ventriculo collecta per vomitum evacuetur primum exhibitis ℥v. *Aq. Juniperi per deſcenſum cum pelvi deſtillatæ.* Si autem ea colluvies in Venis Meſar. & Epatis hæreat, ſubtrahatur crebra uſurpatione ſequentis noduli, potione ex eo parata ℞ Rhab. fol. Senæ an. ℥j. Sem. Aniſi ℈j. contuſa involvantur in Syndonem rub. F. nodulus laxus, qui per noctem maceretur in ℥v. aq. Cicho. Manè fortiter exprimatur & calefacta ſex horis ante prandium ebibatur. In robuſtioribus corporibus præſcripto liquori utiliſſimè admiſceri poteſt vel ℥ß *Elect. Roſa. Meſ. vel* ℥. *ii. El. lenit. aut Diaprunis laxat. vel* ℥ *i. Syr. roſat. ſol. vel* ℥. *vj. pulp. caſſ.* & cum una vice bilioſa colluvies ſubtrahi nequeat, præſcriptis remediis crebrius utendum erit, & ſemper cum vena eſt ſecanda, tum evacuantia remedia ſunt exhibenda die quietis. Interim & virium ſubinde habenda eſt ratio & ſequentis *Elect. Semijugland. q.* devorata, reficiendæ. ℞ *Pyrorum Moſcatell. condit. citrinati conditi ana* ℥ß. *Rad. Cicho. condit.* ℥j. *Chebul. condit.* ℥vj. concidantur minutiſſimè iiſdemque admiſc. *Conſ. Roſa. Borag. Nymph. ana* ℥ß. *Sp. Diamarg. frig.* ℥j. ß. *Sy. Acetoſ. Citri q.* ß. *F. Elect.* Quin & corroborat vires & tutò concedi poteſt ubi ceſſavit calor febrilis, exhibere buccellam panis in vino cretico aut Rhena. maceratam. Durante calore febrili præſtat ab omni potu abſtinere. Verùm ſi ſitis ſit intolerabilis ſequenti potione levari poteſt. ℞ *Aq. Cicho. Card. Bened. ana* ℔ß. *ſyr. acetoſ. citri* ℥ *ij. Suc. Citri acidi* ℥j. *Miſc. F.* potio. Specifica proprietate ſua febrim extinguunt Tertianam & bilioſam colluviem abſumunt ſitimque extinguunt, gutt. 7. 9. aut 11. ol. Vitr. pro ætatis

Sal Vitriol. commodè ſubſtituitur

ætatis ratione ac Virium, cum tribus cochlearibus aquæ Card. Benedicti commixtis, Ante paroxismum aut etiam quotidie Ventriculo jejuno exhibitæ. Ejusdem efficaciæ est & sequens pulvis ante paroxismum ʒj. cum haust. Aq. Cardui-Benedicti aut centauri. mi. quater aut quinquies ebibitus: ℞ *Card. Bened. fl. centau. mi. cornu cervi Visci querci. rub. ana ʒj. commisc. F.* pulvis. Vidimus, & ipsi in proprio corpore experti sumus Tertianam febrim intermittentem solius aq. frigidiss. largiori hausto discussam & sanatam esse, præsertim ubi ejus tanta copia assumatur ut patiens eam rursus evomat: Ea enim ratione magna copia biliosæ colluviei cum vomitu projicitur: Sed non temerè in quibuslibet corporibus nisi in robustis est utendum. Topica remedia veluti sunt Catapl. Epith. Linimenta & reliqua quæ foris applicari debent paulò ante in curatione ardentis febris commemorata sunt. Symptomata vero febrilia quibus remediis sint tollenda ac mitiganda, paulò post seorsim describemus; Hoc tamen unicum topicum observandum erit, tollere febrim Tertianam si manuum carpo alligentur, folia plantag. Sambu. & Senecionis, vel sola Bursa pasto. cum aceto rosa. conspersa & contusa, instarquè Cataplasmatis applicata. Ejusdem efficaciæ quoq; est pul. fuliginis cum virescente Salvia contusus addito albumine ovi & aceti pauxillum & carpis alligatus.

Majorum Virium est Sal absinthites in spiritu nitr. solutum & rursum in Crystallos coagulatum ad ʒj.

Topicum.

Fuligo.

Tertiana Duplicata Quid, Quæ ejus causæ, signa & quomodo curanda.

Tertiana duplex.

Τεταρταῖος δυπλοῦς Tertiana duplex est Febris biliosa acuta, rara tamen, quæ omni tertio die bis hominem invadit,

invadit, ut hodie bis paroxysmum excitet, cras verò nullum, tertio die iterum bis affligat.

Causa αἰτιῶν. Est biliosa colluvies eaq; copiosa vel in venis portæ vel cava vel in Ventriculo collecta. προκατ. sunt fructus & olera citò putribilia, & alimenta omnia vitiosam bilem gignentia & concoctionem impedientia.

Signa duplicatæ Tertianæ sunt Alternis diebus bis paroxysmum excitare. Sitis intolerabilis, Vigiliæ & Hypoch. inflammatio, & reliqua quæ paulò ante in Tertianæ simplicis & ardentis curatione sunt enumerata.

Curatio eadem erit quæ in ardenti febre & Tertiana est præscripta, nisi quod biliosa colluvies crebrius subtrahenda est, & Venæ sectio non nisi in plethoricis corporibus sit molienda. Alvus si sit astricta sequenti bolo subducere oportet ℞ *pulp. Cass.* ℥ 5. *Diacathol.* ℥ 5. *F.* Bolus cum Saccharo conspergatur, duabusq; horis ante acceptum Victum quietis die devoretur. Experientiâ plurimorum comprobatum est, ut & paulò ante meminimus, nullum remedium tam in ardentibus febribus quàm Tertiana duplicata præstantius esse, quàm *aq. frigid.* largissimè & usq; ad satietatem vel potius usq; ad vomitus rejectionem hausta, sed ut diximus non temerè est eo remedio utendum, nisi hisce conditionibus diligenter observatis. Primò ut vires constent & corpns sit robustum. 2. Ut signa concoctionis in Urina appareant, h. e. Hypostasis alba & lævis conspiciatur. 3. Ut non adsit tumor vel Epatis vel Lienis vel Diaphrag. In iis enim pernicioſa est frigidæ potio. 3. Ut non adsit obstructio vel alvi vel venarum portæ vel cavæ. Verùm aqua frigida in febribus bibenda debet esse quàm optima, qualis in hisce borealibus regionibus

Aqua frigida quibus conditionibus exhibenda.

H est

est exscaturientibus fontibus hausta, & quæ citò calefiat citòqué refrigeretur, nec sit alieno colore, sapore odorequé vitioso infecta. Reliqua remedia ex superioribus febrium bilioſarum curationibus peti possunt.

Semitertiana Febris Quid, Quæ ejus causæ, Signa & qua methodo curanda.

Hemitritæus. Πυρετὸς ἡμιτριταῖος est febris composita ex quotidiana continua & Tertiana intermittente & est febris ex genere continuarum: Ratione enim pituitæ putridæ in Venis sparsæ quotidie affligit, ratione autem bilis præternaturalis extra venas profusæ vel in aliqua corporis capacitate collectæ, tertio quolibet die paroxysmum habet duplicem vel reduplicatum. *Rara in his locis.* Rara quidem hæc febris in his frigidis regionibus, sed ut plurimùm lethalis.

Hæc febris si corpus natura bilioſum occupet, tertio die vehementius affligit, si pituitoſum tum quotidie gravius affligit, Mitior autem est tertio die.

CAUSAE αἴτιαι. Sunt pituita putrescens intra venas & bilis vitiosa extra venas collecta. προκατ. sunt intempestiva & prava victus ratio, per quam & pituita putrescens & bilis præternaturalis in corpore generatur. Supra diximus ineptam esse divisionem febrium bilioſarum inexquisitam sive puram & Notham sive spuriam, Exquisitam enim ajunt generari ex pura vel sola bile, quæ in corpore non nisi in Vesicula fellis reperitur, spuriam generari ajunt ex commistione vitiosæ bilis & pituitæ spuriæ, ergo spuria febris Tertiana ex iisdem causis ex quibus semitertiana generatur & iisdem remediis curatur, consultò itaq; spuriam tertianam omisimus, ne turbarem rursus studiosorum ingenia.

SIGNA

Signa semitertianæ varia sunt, pro alterutrius humoris vitiosi naturæ exuperantia, si enim bilis in corpore redundet cum horrore invadit, & crebro cum vomitu & egestione aut sudore bilioso. Præterea ut diximus singulis diebus ratione pituitæ affligit, tertio autē die bilis ratione binos facit paroxismos. Si verò pituita redundet in corpore, calor est remissior, & paroxysmus à frigore externarum partiū incipit, & sitis nulla molestat & desinit cum sopore, semper autem in Hemitritæo Urina est turbida & crassa.

Curatio. Semitertiana cum ex pituita putrida & præternaturali bile accendatur, qui humores planè contrarij sunt, pituita quidem frigida & humida, Bilis autem calida & sicca: Eam ob causam curatio quoq; mixta esse debet ex contrariis facultatibus; Id tamen semper artificiosâ conjecturâ inquirendum est, qui vitiosorum humorum in corpore excellat, id quod ex constitutione corporis & ex aliis signis Temperamentum indicantibus à perito Medico facilè deprehendi potest. Si pituitosa fuerit constitutio corporis major erit ratio habenda concoquendæ abstergendæ & detrahendæ pituitæ, quàm Bilis, & tamen interim nec Bilis emendatio & evacuatio negligenda erit. Victus itaq; ratio in Hemitritæo talis conducit: Omnia alimenta & fercula debent parari & administrari temperata, quæ aut naturâ aut arte ad temperiem reducenda sunt, commiscendo calida frigidis; Talia verò sunt omnia sorbilia, jusculā ex luteis ovorum & cerevisia facta, quibus momentum croci admisceri debet. Lac Amygdal. cremor aut pulmentum Avenaceum, cui nonnihil piperis sit admixtum, carnes pullorum & vitulorum assatæ, ex oleribus Spinachia & Gingidion, ex Radicibus petroselinum & Cariotæ. Cibare autem largius iis diebus

Omnia in hac febre temperata sint.

Nota.

decet, quibus unico Paroxysmo molestantur, tenuius autem tertio die quo duobus Paroxysmis affliguntur. Potus sit aq. hord, in qua Cinamo. & nonnihil Zinziberis Sem. anis. incocta & saccharo condita, & si Pituita excellat in corpore, mulsa seu Hydromeli concedi potest, & aq hord. cum oxymel. mixta. Post victus rationem institutam subducatur colluvies ex intestinis & venis Mesaraicis sequenti Clystere. ℞ *Malv. Mercurialis Violar. ana M. I. Fl. Absynth. Centau. mi. ana M. S.* concisa coquantur in q.s. aq. ad tertias, colentur, colati juris accipe ℔ j. admisce *Elect. Lenit. Diaphoe. Hyera simpl. ana ʒ s. ol. chamom. Violarum ana ʒ j. s. salis ʒ j. Commisc. F.* Enema, quod tepidum intestinis infundatur. Altera die ventriculus leni Pharmaco evacuetur sequenti. ℞ *Rhabarb. el. fol. Sena Alex. Aga. Troch. ana ʒ j. Anisi Cinamo. ana ℈ j.* contusa & in Syndone colligata simul macerentur per noctem in *aq. Absynth. ʒ v.* diluculo verò inferventem aquam poculo cum medicamentis impositio ferveant & fortiter expressa colentur, Colato juri admisc. aut *ʒ j. Diaphœ. Fernely aut Elect. Rosa. & Diaphœ. Mes. ana ʒ j. F.* Haustus: qui 6. Horis ante alimenti assumptionem calidus ebibatur. Porrò si constitutio corporis magis est pituitosa & signa concoctionis in urina conspiciantur, præclare facit statim à cibo sumto vomitum concitare & colluviem pituitosam biliosamq; ex Ventriculo proluere. Vomitum autem excitat ut superius diximus haustulus *aq. Juniperi per descensum destill. cum pelvi* aut haustulus vini in quo *rad. Jugl.* per noctem sunt macerata & manè ebullitæ; peracto vomitu ventriculus corroboretur *duobus cochlearibus succi granatorũ vel citri acidi*

Clyster.

Aut etiam aq. benedicta Rulandi aut Sal. Vitriol.

vel

vel Syr. acetos. citri assumptis. Quin & vomitus excitari commodè potest ebibitis ʒ. ij. ol. Olivarum calefactis, oleum enim non solum vomitum proritat, sed & alvum benignè emollit. Deinde post tertiam invasionē, si corpus est plethoricum & vires adhuc constant sanguinem è vena Epatica dextri lateris detrahere ad ʒ 4. tutò licebit. His ita procuratis mixtis remediis cum alterantibus tum evacuantibus subinde utendum erit, In alteratione quidem conferunt plurimum *Syr. Acetosus* qui pituitæ putridæ crassitiem attenuat & bilis præternaturalis acrimoniam obtundit, & meatuum obstructiones aperit, Idem præstat etiam *Syr. de Endiv.* Syruporum autem δῶσις pertriduum manè ac vesperi erit ʒ ij. pro una vice, & cum *aq. Card. Bened. aut Cent mi. aut Petros.* vel loco aq. earundem herbarum decocti ʒ 4. simul commixtis. *Alterantia.*

In evacuatione verò colluviei & pituitosæ & biliosæ, præstantissimum est 3. aut 4. subinde dies repetere præscriptum haustulum, ex maceratione *Rhab. fol. Senæ. & Aga. Troch.* confectum, cui liquori admisceri possunt, si calor vehementius urgeat ʒ iij. Syr. rosa. solut. aut si validiùs requiratur purgatio pro præcellentis humoris copia in biliosa colluvie ʒ *j. ſ. El. Rosa. Sol. Mes.* Si verò pituita magis redundet ʒ *j. ſ. Diaphœn.* interim & ventriculus corroboretur & viscera, internis & externis topicis remediis. Subinde itaq; præbeatur ægrotanti semijuglandis quantitas sequentis Elect. *Purgantia.*

℞ *Citon. condit. Pyrorum. Moscatell. cond. ana* ʒ. *ſ. Cort. Arant. condit.* ʒ *j.* concidantur minutissimè eisq; admisc. conserv. *Borag. Bugl. ana* ʒ *i. Spe. Diarhodon. Abbatis, Diamarg. frig. an.* ʒ *ſ. Pul. Coral. rub. præp.* ʒ *i. ol. vitri. rectif.* ℈ *i.* *Confortans*

Syr. Acetoſ. Citri q.ſ. commiſc. F. Elect. Si corporis conſtitutio pituitoſa eſt, purgata prius pituita commodè exhiberi poſſunt ſingulis diebus manè *gutt. 7. ol. vitr. cum tribus cochl. aq. Card. Bened.* Abſumit enim colluviem, ſitim ſedat & obſtructiones aperit, & omnibus ferè febribus ſpecifica virtute reſiſtit. Foris verò ſingulis diebus bis inungantur Ventriculus & Spina dorſi & utraquè Hypochond. ſequenti Linimento.

Sp Vitrioli coralliis impregnatus mirè prodeſt.

Topica.

℞ *Ol. è Maſtich. Roſar. ana* ℥ ß. *Nymph. Mentæ ana* ʒ. ij. *ceræ albæ q.ſ. F.* Linimentum: Et ſi calor febrilis vehementior exiſtat, admiſceri poteſt *Mucilag. ex Seminibus Citon. & Pſylij cum aceto roſa. factæ* ʒ ij. Carpis manuum inſtar cataplaſmatis in ipſo Paroxyſmo alligetur *Burſa paſtoris* virescens cum pauxillo aceto roſac. contuſa. Si vigiliæ infeſtant, pedes veſperi laventur in aq. calid. in qua incoctæ ſunt *capita papa. fol. Salicis & fl. chamæ: & Beton.* Tempora autem & coronalis ſatura inungantur *ol. Roſa cum aq. & aceto roſa. mixta.* In tota curatione ratio habenda eſt Symptomatum, quæ in hac febre ſæviora eſſe ſolent, quæ ſemper ſunt auferenda aut ſaltem mitiganda ante Methodicam curationem. Quibus autem remediis febrium Symptomata omnia ſint profligandæ ac mitiganda, paulò poſt, abſolutis febrium curationibus fideliter docebimus.

Pediluvium in omnibus febribus conducens.

De Febribus Melancholicis.

In humore Melancholico putreſcente quæ febrium Species excitentur.

In Chymi ſeu maſſæ ſanguineæ purificatione limoſiorem ſanguinis partem Lien in proprium alimentum attrahit:

trahit: Hæc pars terrestrior sanguinis à colore Græcis Melancholia, Latinis Nigra bilis nominatur, quam si Lien propter imbecillitatem, obstructionem aut intemperiem ex massa sanguinea assugere nequeat, cum sanguine in totum corpus dispergitur, & varios generat morbos melancholicos, ut Ictericiam Nigram, Stomacacen, quam Scorbutum appellant, & scyrrhosos tumores. Ubi verò idem humor aut putrescat aut à præternaturali viscerum calore aduratur, aut retorrida bile commisceatur, suosq; tetros vapores sursum ad cor demittat, febrem Quartanam generat. Cujus species Veteres duas constituunt *Quartanam continuam* (quæ mihi septuagenario nunquam visa est, & ideo eam aut rarissimam aut nullam esse judico.) *Et interpolatam* quæ frequentissima est. Nos itaq; omissa ea divisione Quartanarum, pro humoris Melancholici natura dividimus *in quartanam mitem minusq; periculosam*, (ideo quod neminem jugulavit unquam, nisi fortè culpâ ægroti vel Medici) quæ ex putrescente Melancholico humore in sanguinea massa generatur; *& in quartanam savam & pernitiosam*, quæ ex adusta flava bile putrescente, Melancholico humore mixta, originem ducit, & hæ duæ species Quartanarum distinguuntur & propriis signis & curandi ratione.

Hanc sententiam alij aliter explicant.

NB. Raritatem Quartanæ continuæ.

Quartana mitis.

Pernitiosa.

Quartana Febris Mitis & secura Quid, quæ ejus causæ, signa, & quomodo curanda.

Quartana mitis.

Πυρετὸς τεταρταῖος πρᾶος Febris Quartana mitis est, quæ quarto quolibet die recurrit & suo Paroxysmo hominem affligit, ac inter duas accessiones per duos dies inducias concedit.

Causæ

Causæ. CAUSÆ πρόγνω. Sunt Melancholicus humor putrescens aut in splene aut in sanguinea massa, Lienis obstructio & imbecillitas, corporis Melancholica constitutio, consuetarum hæmorrhoidum, & in fœmellis mensium, suppressio. Προκατ. Sunt omnes res Melancholicos humores in corpore augentes & putrefacientes, lienemq; obstruentes, ut sunt alimenta crassi succi, carnes ac pisces fumo durati, caro anserina, leporina, cervina, hircina, caseus vetus & Legumina ferè omnia, item Tristitia ac mœror animi.

Signa. SIGNA mitioris Quartanæ sunt, quarto quolibet die affligere, & ejus rei præteroccultam putrescentium in corpore humorum proprietatem, uti diximus jamante, causa est, Quia Melancholicus humor putrefactioni motuiq; ad putredinem usque ad 4. diem resistere potest, & quarto tandem die movetur Melancholicus humor ad putredinem, & natura excitatur ad eum exturbandum.

Cur paroxismus quarto recurrat die.

Signa incipientis paroxysmi. Paroxysmus quartanæ leniter & sensim incipit. 1. Cum oscitatione & pandiculatione, quam subsequitur horror & mox frigus, quod paulatim extenditur & altiùs usq; ad ossa penetrat, *ita ut ossa sibi confringi patiens conqueratur*, & dentes vehementissimè concutiuntur, ac tandem calor febrilis paulò mitior quàm in tertiana subsequitur, Qui in rara constitutione corporis cum sudore exhalat; Adest præterea ut plurimum etiam Lienis seu sinistri Hypochondrij dolor, urina extra paroxysmum aquea est, tenuis & alba, sed die Paroxysmi magis ad obscuram flavedinem Vergit, & ante solutionem febris ut plurimum turbida &

NB. „ nigra excernitur. *Nigra itaq; urina in quartanis & mensium*
„ *retentione salutare est signum, in aliis morbis periculosum.*

Qui Quartana laborant, iis faciei & oculorum color plum-

plumbeus efficitur, In Quartana mitiore appetentia inculpata manet, & vehementior redditur scilicet ob humoris aciditatem. Προγνωστικὰ. In omni Quartana splendebilis est & malè affectus. In quacunq; quartana Lien intumescit, Hydrops & periculū vitæ est metuendū. Quartana in senibus rarò & difficilimè curatur. Quartana æstiva brevior, Autumnalis longa, præsertim si hyemem attingat; Quartana ut plurimū finitur, post nigram & turbidam urinam, aut hæmorrhoidum vel mensium eruptionem, aut (rarius tamē) sanguinis è naribus profluviū, aut post livida Apostemata crurum. A Quartana capti, ab Epilepsia & convulsione immunes sunt. *Prognostica.*

Curatio Quartanæ mitioris Methodica, qua Medici praxin exercentes, utuntur, est valde tarda, difficilis ac incerta, & ea quidem consistit in victus ratione, venæ sectione, humoris Melancholici extenuatione & incisione, crebraq; sed mitiore evacuatione, atq; Lienis & Epatis corroboratione. Imprimis autem in omni curatione Quartanæ ratio habenda est Lienis primò, deinde humoris Melancholici putridi & corporis innati Temperamenti. Alia enim curatio debetur quartanæ in calidis, alia in frigidis corporibus, alia in Melancholicis & pituitosis, alia in biliosis. Quia verò hæc febris violentis remediis magis exacerbatur, ideo in initiò blandè & leniter est tractanda, aliàs intempestivis remediis ex simplici, duplicata & triplicata efficitur Quartana; subinde itaq; Quartanæ Paroxysmos & Symptomata prioris febris cum sequentis conferre debet Medicus, & inde de Medicatione ratiocinari. Quartana itaq; mitis, si in corpus naturâ Melancholicum aut pituitosum, hoc est, frigidum incidat, tum & ratione victus & medicamentorum moderatè calefacientia & inci- *Cura.* *Cautio.* *Quartanæ cura in Temperamentis frigidis.*

& incidentia sunt adhibenda. Quod ad victus attinet ra-
Victus ratio tionem in naturis Melancholicis & pituitosis, jusculа de-
bent parari ex iis quæ calefaciunt & facilè concoquuntur,
conveniunt autem ex carnibus Ovillæ, Vitulinæ. pull. gal-
lin. perdicum & columbarum. Pisces verò rarò & non
nisi percæ aculeatæ & Lucij ex sale cocti concedi possunt,
condiantur autem & coquantur alimenta cum pipere Ci-
namomo, Petroselino & Zinzibere, concedi quoq; pos-
sunt & ova sorbilia & lac Amygd. & cerasa cocta, & jusculа
ex ovorum luteis & vino & cerevisia facta. Quin &
Condimentorum loco vesci possunt Capparibus & Limo-
niis Sale conditis, vel intinctionibus ex Sinapi, Pipere,
Eruca, Zinzibere & Cinamom. cum q. 5. Vini & Sacch.
Opinio de Aceto. confectis, aut resolvantur in vino *rot. Diatrion piper.* & fiat
intinctus. Aceti acidorumq; usum sine discrimine Tem-
peramentorum corporis in Quartana fugiendum esse do-
cent Medici. Nos verò in Melancholicis & pituitosis cor-
poribus in quibus febris non ex adusta atra bile originem
ducit moderatum aceti acidorumq; usum, eò quod inci-
dat, salutarem esse judicamus: Abstinere autem jubetur
æger ab omnibus alimentis putrefactioni subjectis, &
crassum ac Melancholicum humorem generantibus, qua-
Potus. les sunt Bubula caro & Pisces sale fumoq; indurati: Item
carne anserinâ, Agninâ, Hircinâ, Cervinâ, Leporinâ & Le-
guminibus omnibus, veteriq; caseo. Potus conveniен-
tissimus erit Vinum tenue & album, vel si sit Rhenanum
forte, cum aq. hord. diluendum erit. In eo autem vino
saluberrimum est nodulum ex Syndone confectum, in
Die paroxy smi abstinē dum. quo insuta sunt cort. Tamarisci & Ceterach herba, impo-
nere, ac macerare; In paroxysmi die præstat ægrum à ci-
bo omni abstinere, vel si virium prostratio metuatur, ci-
bandi

bandi sunt 4. horis ante febris invasionem. Postquam autem calor febrilis omninò exhalavit, corroborandi sunt oblatâ buccellâ panis in vino Cretico aut Rhenano, imbuta ac commesta. Reliquis autem diebus quietis largiùs nutriendi sunt, post primam aut secundam invasionem, si alvus est obstructa, sequenti Clystere emolliatur & colluvies ex venis Mesaraicis & Liene subtrahatur.

℞ *Malvæ, Mercur. Fumar. Cetrali ana M. s. fol. Senæ.* ℥ *s. fl. Anethi Chamæ. Cent. mi. ana. P. I. Thymi, Epithy. ana* ℥ *i. concisa coquantur in q. s. aq. ad medias colati juris accipe* ℔ *j. in qua dissolve Elect. Lenit. Diacathol. ana* ℥ *s. confect. Hamech.* ʒ *ij. ol. Anethini Absinth. Rutæ ana* ℥ *j. Salis* ʒ *j. F. Enema, quod tepidum intestinis infundatur.* Eluta alvo si corpus gracile sit, & multo redundet sanguine, id quod ex intumescentia Venarum deprehendi potest, Vena Lienaria sinistri humeri vel ramus ejus qui inter minimum & annularem digitum situs est, die quietis, idq; post alterum aut tertium Paroxismum incidatur, Habita semper ratione virium & ætatis. Ex secta autem vena si sanguis profluens crassus & niger existat, largius detrahatur, ubi verò tenuis, purus, rubeus aut subflavus conspicitur, statim supprimatur. Ad medicationem mitioris Quartanæ quod attinet cum Melancholica colluvies valde sit instar picis liquidæ tenax, & non facilè ablui abstergiquè possit, crebro & longiori tempore sequentibus potionibus incidenda, extenuanda, abstergenda & sensim per intervalla evacuanda erit, sensimq; viscerum obstructiones aperiendæ, & eadem remedia tum incidentia tum evacuantia subinde repetenda erunt; quando verò Melancholicæ resolutiones sunt coneoctæ, singulis septimanis semel leniter subducendæ veniunt. Incidunt autem & concoquunt

Salva tella.

Vena sectio.

Pharmaca in quartana.

quunt & abstergunt, obstructionesq; aperiunt sequentes Syrupi *Syr. Byzantinus Syr. de duab. rad. Syr. è fumaria. S. de lupulis. S. è Capill. Ven. Oxymel simplex* & similes, quorum singulorum aut ex his nounullorum mixtorum ἅπαξ pro una vice ℥ ij. cum *aq. Fuma. Cardb. cent. mi.* aut singulorum aut simul mixtorum ℥ iij. cum *Syr.* mixtis manè offerri possunt. Vesperi autem ituro cubitum præstat duas aut tres rotulas *Diatrion piper.* devorandas præbere, quæ digerunt, extenuant calefaciunt, & flatus in Hypochondriis dissipant & obstructiones aperiunt. His per octiduum aut circiter usurpatis putrida & resoluta colluvies leniter per alvum educatur aut ʒ x. *pulpæ Cass.* in die quietis paulò ante prandium devoratis aut ℥ j. *Diacathol. cum* ℥ 4. *Vini, in quo Cetrah & fol. Senæ, ana* ʒ ij. *sunt macerata & incocta:* vel. loco Syr. & aq. Stillat. pro concoquenda melancholica colluvie & aperiendis obstructionibus viscerum sequentis potionis ℥ 4. manè ac vesperi per octiduum exhiberi possunt.

Zingiber Chinense utilius.

Hujus Census sunt Pill. extr. helleb. nig cũ Spec. purgante Paracels.

℞ *Cort. Tamarisci, Fraxini, Rad. Petrosel. Asparagi, Polypo. an.* ℥ ß. *Elebori nigri prius in aceto ebulliti & rursum exiccati* ʒ. vj. *Herb. Cetrah. Chamedryos Fumariæ ana M. I. Rosm. Card. Bened. Cent. min. ana M.* ß. *se. Anisi Petrosel. ana* ʒ ij. *Cinam.* ʒ ij. *Thymi Epithy. ana* ʒ ij. *fol. Senæ Alex.* ℥ ß. ß. *pass.* ℥ ij. concidenda concidantur & contundenda contundantur, & cum ℔ v. albi vini in Cantharo pasta farinacea oblinito & inferventem aquam imposito per 2. horas coquantur & refrigerata colentur, cujus potionis ℥ v. 6. horis ante accessionem exhibeantur die paroxysmi, hæc enim potio non tantum concoquit, extenuat, obstructionesq; aperit, verùm etiam sensim & leniter subtrahit & expurgat colluviem Melancholicã.

Reli-

Reliquo autem tempore mane ac vesperi devorandi patienti dentur 2. vel Diatrion pip. aut corroborentur Ventr. & viscera sequenti Electuario.

℞ *Conf. Rorism. Meliss. Borrag. Fuma. ana* ʒj. *Cort. Arant. cond. & rad. cichor. cond. ac zinzib. conditi simul concisarum ana* ʒs. *Ther. Andro.* ʒ iij. *Spec. Di Anthos, Diarhodon. abb. ana* ʒ ij. *cum Syr. in quo cort. Arant. sunt condit. commisc. F. Elect. cui admisc. ol. cinn. gutt. vj. cujus semijugl. q. mane ac vesperi utiliter exhiberi possunt.* Quum autem ventriculus in mitiori quartana facilè pituitam concipit, & febrim auget, oportet vomitu per intervalla ventr. evacuare, haustulo vini prius ebibito in quo cort. medianæ. rad. jugl. sunt maceratæ ac ebullitæ, aut assumpto haustulo aq. ex granis Juniperi per descensum cum pelvi destillatæ, præstat autem vomitum ciere paulo ante Paroxismum, post vomitum, ante sequentem Paroxis. felicissimo successu exhiberi possunt. ʒj. s. *Ther. And. cum vino* resolutæ, idq; crebrò *repeti debet, ut Galenus jubet, Alia quoq; Antidota* adversus quartanam paulo ante Paroxysmum exhiberi possunt, quale hoc sequens est.

Confortans.

Vomitus in mili quartana prodest.

Specifica contra quartanam.

℞ *Mitrid.* ʒ. ij. *quæ resolvantur in haust. vini in quo incocta sint fol. Rorism. & Cetrab. ana q. s.* utilissimum est & sequentem pul. cum præscripto vino ante paroxismum propinare.

℞ *Cinam. Piper. nigr. ana* ʒj. *croci, Myrrhæ, Styracis calam. Sagapeni ana* ʒs. *Benzoi* ℈ ij. *Rad. Gentia.* ʒj. s. conterantur tenuiss. F. Pul. Dosis est ʒj. s. Aut in eodem vino ante Paroxis. exhibeantur *gutt. 9. ol. Vitr. Aut pul. castor.* ℈ ij. præscriptis remediis non est utendum statim in initio febris, sed ubi aliqua concoctionis signa in urina apparent & evacuatio colluviei præcessit. His omnibus per mensem

sem usurpatis, tandem abstineat æger ab usu medicamentorum per octiduum, ac deinde eadem remedia repeti possunt. Porrò topica & foris usurpanda remedia in simplici sive mitiquartana, præcipua hæc sunt, ubi concocta & evacuata est colluvies melancholica & obstructiones viscerum sunt apertæ, utilissimum est ægrotum in diequietis in lavacrum sive balneum deducere ac lavare, debent autem in lavacro concoqui *fl. chama. Melilo. Anethi, Origani, Serpil. Betho. Fœnic. Salviæ & similes ana. q.s.* Minimè obstante quod Fuchsius balnea in quartanis improbet. Tandem post balneum & aliàs quotidie manè ac vesperi dorsi spinam & Hypochondrium sinistrum inungere, sequenti Linimento, magnum adfert præsidium. ℞ *Ol. è Cappare è Castor. ana* ℥ *s. Nardini* ℥ *ij. Chamam.* ℥ *j. Ceræ q. s. F. Linimentum, quod aceto rosa. terebuatur. Aut fol. abrotani in ol. Rutæ* contusa coquantur, & eo prædicta loca inungantur, carpis manuum instar catapl. alligentur, aut *Bursa Past. cum aceto contusa aut Ruta ac. salv. cum aceto rosa. contusa.* His omnibus si non cedat febris in corporibus pituitosis & Melancholicis feliciſſimè uti possumus quotidie bis ℔ j. sudorificæ potionis ex sarmento Indico *Sarsaparilla* dicto, cujus parandi utendiq; rationem in peculiari libello descripsimus. Porrò si quartana Febris corpus Temperamento calidum & siccum sive sanguineum & bilioſum occupavit, præscriptis remediis minimè utendum est, in ejusmodi enim quartanis Epar ut plurimum inflammatur & sanguis torretur bilisq; flava aduritur, unde adusta colluvies Melancholica constans ex retorridis sanguine bile fl. & putrida Melanch. generatur, in qua moderatè refrigerantia sunt adhibenda, Talis autem corporis constitutio hisce signis dignoscitur in Quartanis.

Topica.

Sudorificũ in quartanis.

Cura Temperamenti calidi.

1. Po-

1 Prosternitur appetentia, sitis adest vehemens & capitis dolor, & calor febrilis instar Tertianæ extensior est & urina rubescit; itaq; in ejusmodi constitutione corporis & victus ratio & medicatio refrigerans & humectans prorsus diversa à præscriptis remediis instituti debet. Ac primum quidem præmissa alvi evacuatione per Clyst & Venæ Epat. dextri humeri sectionem, alimenta sunt præscribenda quæ refrig. & hum. ut sunt præscribenda quæ refrig. & hum. ut sunt Pruna, Cremor Ptisanæ, ova sorbil. caro vitul. ovilla, ac pull. gall. Pisces autem non nisi fluviatiles & squammati & ex his percæ aculeatæ & lucij concedi possunt: alimenta quoq; cum uvis omphaciis condiri affuso aceto possunt, nec Lactucæ usus in acetariis improbatur. In potu conducit aq. hord. aut vinum tenue cum aq. dilutum, aut lac ex 4. sem. frig. major. cum aq. hord. & Saccha. candi confectũ aut cerevisia clara & refrigerans qualis est Brunsvicensis aut apud nos Hildensis. Vinum autem plenum & omnia quæ melle & aromate sunt condita vitanda sunt. Fervorem & acrimoniam ustulatæ colluviei Melancholicæ ante evacuationem crebra usurpatione *Syr. Viol. de Cicho. Endi. Acetos. Citri Oxy-sacchari. Syr. de lupulo Borag. & de Fuma.* obtundere & mitigare oportet. Ex eorum autem Syr. singuli aut quorundam ex iis commixti manè ac vesperi pro singulis vicibus exhibendæ sunt ℥ ij. cum ℥ iij. vel 4. *aq. Cichor. vel Endi. vel Fumar.* commixtorum. Prodest pro Syr. uti haustulo uno singulis vicibus seri lactis caprini, in quo Cetrah & Fuma. incocta sint, Aut ℞ *Rad. Cicho. Polypo. ana* ℥ 5. *cetrab. capill. Ven. ana M. I. 4. se. frig. mai. ana* ℥ ij. *Cons. Viola, Borrag. Bugl.*

Sign.

Diæta.

Alterantia.

Bugl ana ʒj. ſacch. condit. ʒiij ſer lactis Caprini ℔ 4. Aceti vini ʒ. 4. ſimul concoquantur in duplici vaſe per 2. horas F. Potio, cujus ʒ 4 manè ac veſperi exhibeantur. Præſcriptis remediis per intervalla duorum Paroxyſmorum uſurpatis putrida colluvies ſubtrahatur *aut ʒ x. Pulpæ Caſſ. aut ʒ i Elect. Lenit. in aq. Endi. diſſoluti.* aut ſequenti hauſtu. ℞ *Rhab. el. ſol. Senæ ana ʒj. ſ. Thymi Epith. ana ʒ ſ.* contuſa colligentur in Syndone F. nodulus laxus, qui per noctem, in ʒ 4. *aq. Card. Bened. aut Cicho.* maceretur, & diluto poculo in aquam ferventem impoſito ebulliant per octavam horæ partem, deinde Nodulus fortiter exprimatur F. Hauſtulus, qui die quietis. 6. horis ante Prandium exhibeatur. Si quis autem remedium fortius habere velit, huic liquori admiſceri poteſt ʒ ij *Diacathol. aut ʒ j. Syr. roſat. ſolut.*

Purgantia.

In bilioſa conſtitutione vomitus ſponte veniunt.

Quartana febris quæ corpora Temperamento bilioſa occupat, ut plurimum in ipſa invaſione evomitiones ſpontaneas excitat, Tales quartanæ ſola *aq. roſ.* probè refrigerata ad ʒ vj. menſuram ante Paroxiſmum exhibita, & paulo poſt cum vomitu ejecta feliciſsimè curari poſſunt. Superiores purgationes ſubinde repetendæ erunt, poſt 3. aut 4. Paroxyſmos. Vires ægroti continuè ſunt corroborandæ ſeq. Elect. ℞ *Rad. Cicho. Cond. Pyrorum Moſea. condit. & conciſ. ana ʒj. conſ. Borag. Bugl. Viol. ana ʒ ſ. Marga. præp. Coral. Rub. præp. ana ʒ ß. Syr. Acetoſ. citri q. ſ. F.* Elect. cujus ſemiugl. q. ſæpe exhibeatur. Idem præſtant & *rot. manus Chriſti* vocatæ & *Diarhodon. Abb.* in ipſo Parox. guſtatæ. Topica remedia foris applicanda in febre quartana præcipua hæc ſunt. In omni quartana laudatur à Medicis Baln. aq. dulc. verùm

Corroborantia.

Topica.

cum

cum in corporibus biliosis quartana laborantibus vires magis, quam in pituitosis ac Melancholicis prosternantur. ego pro balneo, sola pedum lotione, tum ad refrigerationem, tum ad somnum conciliandum, vesperi cubitum ituro uti consuevi. In ea autem lotione concoqui debent *fol. salviæ, violariæ, capita Papav. & Chamæm.* Ventriculus & utraq; Hypochondria & tota spina dorsi quotidie bis & simul paulo ante paroxys. sequenti Linimento inungantur. *Lotio pedũ.*

℞ *Ol. Rosa. Nymph. Citon. ana* ℥ 5. *Mucag. ex sem. Citon. cum aceto rosa. facta* ʒ ij. *Cera albæ q. s. F.* Linimentum, cordis regioni & manuum carpis & dextro Hypochondrio in Paroxysmo & aliàs sequens Epithema duplicatis linteolis exceptum applicetur. *Linimentũ.*

℞ *Aq. ros.* ℥ 4. *Borag. Melissæ ana* ℥ iij. *Aceti rosa.* ℥ ij. *Sp. Diatrionsant. vel Spec. pro Epithem. cordis* ʒ iij. *commisc. F.* Epith. quod tepidum imponatur. Hæc est curatio Quartanæ Methodica habita ratione congeniti Temperamenti in singulis corporibus. Dixi autem supra in quartana febre tardas esse Methodicas curationes, itaq; irregularem curationem hoc loco subjungam, qua non tantum recentiores ut Arculanus & Amatus Lusitanus, verùm & Hipp. ipse vel ipsius gener Polybius usi sunt, qui jubent post humoris concoctionem exhibendam esse purgationem non tempore quietis, sed paulò ante Parox. viribus tum constantibus. Cum enim Melancholica colluvies valde tenax & ad motum contumax sit, in Paroxysmo autem à natura commoveatur, eò facilius cedit & per purgationes subduci potest. Ego hac ratione non tantum febres quartanas sed & quotidianas felici successu curavi. Verùm in hujusmodi curationibus, ut supra monui, ratio est habenda

Purgatio brevi ante paroxismũ.

Experimentum.

benda non tantum humoris putridi, sed & virium & concoctionis.

Nunc remedia quæ specifica proprietate & congenita ἀντιπαθείᾳ quartanam febrim pellere possunt, & quæ longa experientia comprobata sunt, subjungemus: præmissis evacuationibus, & reliquis superiùs præscriptis aq. rosa. ℥vj. in ipso Parox. exhibitæ, & paulo post per vomitum rejectæ, ut ante diximus, & quartanæ & ardentibus febribus medentur. In pituitosis & Melancholicis corporibus post tertiam colluviei evacuationem, haustus vini, in quo fol. Roris. sunt incocta; cuive, ℥j. ʒ. Theria. Andro. & ℥ʒ. aq. Juniper. sunt admixtæ, in ipso Paroxysmo exhibitus, ter quaterve repetendo quartanam tollit, aut

Egregiũ est Elixir proprietatis ritè paratum

℞ *Calamentæ viridis M. I.* aut paulo plus, quæ conspergatur vino Malvatico ac contundatur, succusq; exprimatur ac coletur, cujus ℥ iij. ante paroxysmum ebibitæ certâ experientiâ Quartanam pellunt. Guttulæ quoq; novem ol. Vitriol. cum tribus aut quatuor cochlearibus Vini generosi quotidie manè assumti, ac potissimum in ipso paroxysmo exhibiti absumunt materiam Quartanæ. Si calida & biliosa sit corporis constitutio hæc sequentia magis conferunt. ℞ *Syr. è Cicho. ℥j. Aq. absinth. ℥. ij. ol. vitri. gutt. 9. Misc. F.* haustus qui omni die manè tepidus exhibeatur; Præclarè item facit ad Quartanam si spina dorsi & sinistrum Hypochondrium manè ac vesperi sequenti Linimento inungatur.

Vini usus.

℞ *Ol. Lauri ℥ vj. suc. Rutæ. ℥ʒ. Aq. Juniperi. ℥j.* simul concutiantur & conquassentur donec Linimenti formam consequantur F. Linimentum aut ℞ *Salviæ, Rutæ, Absinth. Roris. Cetrach. ana M. ʒ. Mastic. Olibani ana ℥ʒ. Vini sublimati aut aq. Junip. ℥. ij. ol. Olivarum Laurini. ana ℥. ij.* Macerent

cerentur per octiduum deinde concoquantur ad aquosi liquoris evaporationem colentur F. Linimentum. Aut ℞ *Pimpinel. Torment. Card. Bened. Cornu cervi usti. Diptami albi ana* ʒ *ß. F.* pul. cujus ʒ *j.* in vino generoso *2.* horis ante paroxism. propinetur. Vel ℞ *Ol. Chamæ.* ʒ *ß. Laurini, Rutacci ana* ʒ *ij. Cort. Arant. rec. minutim concisorum No. ij. Vini sublimati* ʒ *ij.* ebulliant ad vini evaporationem, & colentur quo quotidie spinam dorsi Hypochondria & manuum carpos confricare utilissimum est. Magis autem efficax fit remedium, si prædictæ partes ante inunctionem confricentur sacculo ex *fl. Chamæ.* consuto & in vino cocto atq; expresso. Item.

℞ *Telæ aranearum* ʒ *ß. Unguenti popul. q. ß.* ex quibus mixtis formentur sphærulæ, quæ carpis manuum illigentur in Paroxysmo. Aranea viva, quam fieri potest magna capta, inter duas testas nucis jugl. occlusa ac colligata & collo appensa & per 4. dies gestata specifica virtute à quartana liberare creditur; Similiter & Cantharides 4. telis Aranearum involutas & collo appensas quartanam tollere proditum est. Urina patientis in Paroxysmo projecta & cum farinæ q. ß. subacta & in massam redacta & in clibano panis modo cocta, si famelico cani masculo quidem si masculus est æger, & fœmellæ si fœmina projiciatur commedendaq; præbeatur, idq; ter aut quater reiteretur, patiens quidem liberatur à febre sed laborabit canis; Novem item piperis integra grana plures dies deglutita liberant à quartana febri.

Medicina Magnetica.

Quartana Sæva & Periculosa, quid, quæ ejus causæ, signa & quomodo curanda.

Paulo ante dixi nunquam à me visam Quartanam

Quartana pernicioſa. continuam, ſæpiſſimè autem ſævam & periculoſam à ſimplici quartana diſſimilimam. Eſt autem quartana ſæva & pernicioſa, quæ quarto quolibet die, ut ſimplex quartana, acceſſionem habet, ſed ab ea differt, quia hæc ſtatim ab initio & vires & appetentiam proſternit, & per duos quietis dies, natura nullo modo refici poteſt, ſed inducta debilitas ſemper perſeverat.

Differentia à miti.

Cauſæ. CAUSÆ προκ. ſunt morbi ardentes febrim antecedentes & atra bilis ex aduſtione vel melancholici humoris vel flavæ bilis & in cinerem converſione generata, ſanguineæq; maſſæ commixta, vel in Epate aut Liene cumulata. προκ. ſunt omnia quæ Epar & Lienem inflammare & ſanguinem & utramq; bilem adurere in cineremq; convertere poſſunt. Qualia autem hæc ſint, paulò ante in curatione mitis Quartanæ enumeravimus.

Signa. SIGNA pernicioſæ Quartanæ hæc ſunt, quarto die Paroxyſmus redit, cum maxima virium debilitate, in quo frigus eſt exiguum, ſed calor acris & extenſus ac diuturnus, Appetentia labefactatur, Urina valde rubet, & eſt turbida, adeſt & ſiccitas linguæ & ſitis continua. *Prognoſt.* In Quartana ſæva ſi Epar vel Splen inflammetur aut intumeſcat maximè in corporibus bilioſis aut Melancholicis citam mortem infert; in Quartana ſæva non tantum Lien, ſed & Epar obſtruitur & inflammatur.

Quomodo cura inſtituenda. CURATIO. Præſtaret Medicum hujusmodi quartanis manus non admovere, Hic enim locum habet: Hydrops, Quartana, Medicorum ſcandala plana. Sed ſi curatio tentanda eſt, ea mitiſſimè eſt tractanda, ne nimirum Medicamentorum uſu vires magis debilitentur. Debet autem & victus ratio & medicatio refrigerans & humectans eſſe, initio itaq; ſi adſit obſtructio alvi vel verarum Meſaraicarum

rum subducatur & aperiatur leni Clystere *ex* ℔ *j. decocti sive jusculi Malvæ Viola. Mercur. Alth. & Fuma. cui admixta sunt Pulp. Cass.* ʒ *j. s. ol. viol.* ʒ *iij. & Salis* ʒ *j.* Deinde si corpus sit sanguineum seu plethoricum & vires moderate constent, Vena lienaris in sinistro Hypoch. si dolor aut punctio in sinistro Hypochondrio sentiatur, aut Epatica dextri lateris, si in dextro latere dolor affligat, secetur; & ʒ 4. aut 5. sanguinis detrahantur, quo facto victus ratio præscribatur, ut diximus, refrigerans & humectans, in quem usum conferunt *cremor ptisa. Lac. Amygd. cum aq. hord. paratum, Pruna & Cerasa cocta*, ova sorbilia, caro pullorum & ovilla & pisces fluviatiles ac squamosi, quales sunt Lucij, percæ aculeatæ & percæ simplices, quæ omnia aut uvis immaturis aut aceto rosa. condiri possunt; potus sit aq. hord. quæ fervens per *conf. rosa. Nymph. Borag.* percolata est: Virium reficiendarum causa quoq; potest vinum tenue concedi, sed in modica mensura & aq. hord. dilutum. Tandem atræ bilis colluvies sensim & blandè subducatur exhibitis. ʒ j. *s. Mannæ in q. s. aq. Card. Bened.* resolutis aut ʒ x. *pulp. cass.* devoratis aut ʒ *iij. Syr. Viola. solut. cum aq Lactucæ aut Cicho.* ʒ *ij. solutis & ebibitis. Aut.* ʒ *j. El. lenit. cum hauſt aq. Endi. resoluta.* Reliquiæ verò & Cineroſæ partes ejus colluviei, quæ in corpore fumigant earum acrimonia mitigetur & extinguatur aut ʒ ij. *Syr. Viol. aut Syr. è Nymph. aut Syr. acidi ê Citro aut Syr. de Endi. cum* ʒ *iij. aq. Cicho. aut Card. Bened. aut Fumar. aut Lact.* commixtis & manè ac Vesperi ebibitis. Aut loco Syr. manè ac vesperi assumat Lactis haustulum *ex 4. sem. frig. major. & sem. papav. cum aq. hord. vel cum aq. Fuma. vel cum aq. Cicho: confectum & q. s. Sacch. candi. quod in Syr. Viol. concrevit dulcoratum* quin & serum lactis caprini cum ad colluviei

viei aduſtæ temperationem & ejus lenem ſubtractionem faciat, eò commodè alternis diebus uti æger poterit in aurora. quæ præſtantius fit & magis evacuat, ſi nodulus ex ʒ j. *Rhab. & ʒ j. fol. Senæ & ʒ j. Polypo. contuſis & ejus ſeri ʒ vj. per noctem maceretur.* Et ſi æger ſponte ad vomitionem feratur, per intervalla ſumptis (ut ante diximus) in Parox. ʒ vj. aq. Roſa. & rurſum evomitis diminuetur per vomitum & cinerea materia, & mitigabitur febrilis calor. Præter hæc ſubinde corroborentur vires, *rotulis ij. Manus Chriſti* devoratis, *aut pyris Moſcatellinis condit. vel rad. Cicho. condit. vel* (ſi haberi poſſunt) baccis fragorum elotis & cum vino rub. tenui perfuſis ſaccharoq; conſperſis. Prodeſt etiam *ſuc. Arant. & Granator.* exhibitus aut corroboretur ſequenti Elect.

Corroborans. ℞ *Rad. Cicho. cond. ʒ j. pyrorum Moſcat. cond. ʒ. 5.* quæ minutiſſimè conſcindantur eisq; admiſc. *Conſ. fl. Cicho. Roſ. Borag. Bugl. ana ʒ iij. Sp. El. de gemmis, Diamarg. frig. ana ʒ j. Syr. Citrorum acidorum q. 5. F. Elect.* cujus quantitate duarum avellanarum crebrò devoranda exhibeatur. Inter Topica & externa remedia plurimum conferunt, pedum manuumq; circa veſperum collutiones, in lavacro verò concoqui debent *fol. Salicis, Lactuca, capitum papa. Roſæ & Chamæ fl.* Conferunt quoq; plurimum quotidianæ inunctiones ſpinæ dorſi & Hypochondriorum manè & veſperi adhibitæ cum ſequenti Linimento.

Topica. ℞ *Ol. Roſa. Nymph. Viol. ana ʒ 5. Mucag. ex ſem. Citon. & Pſylij cum aceto. Roſa. facta ʒ ij. Unguenti popul. ʒ j. cera alb. q. 5. F. Linimentum* carpis manuum applicetur in Parox. aut Burſa Paſtoris herba vireſcens cum aceto roſa. contuſa, aut placentulæ ex telis aranearum cum q. 5. Unguenti pop. confectæ, & collo appendatur aranea viva in Syndone aut

ne aut testis nucum jugl. inclusa & gestetur per quatriduum. Symptomata hujus Febris quibus remediis sint tollenda paulo post enumerabimus.

Quæ Febres in Solidis corporis partibus accendantur.

Naturam humanam ex tribus substantiis, *spiritibus, Humoribus & solidis partibus* constare ex *Hipp.* docuimus. Omnem itaq; febrim in una earum vel omnium accendi & fundari necesse est. At febres quæ in spiritibus & humoribus excitantur, quibus item mediis curandæ sint, in superioribus declaratum est. Sequitur itaque nunc ut de ea febre differamus, quæ in solidis partium corporis substantiis, inprimis autem cordis figitur atq; hæret, easq; vastat ac depopulatur, Hanc & Græci & Latini *Hecticam* vocant.

Hectica Febris Quid? Quæ ejus causæ, signa, & qualis curatio in ea instituenda.

Hectica descr.

πύρεξις ἑκτικὴ, id est, Habitualis vel in habitum conversa febris, quæ in solidis partibus tam hæret firmiter, ut congenita esse videatur, ut difficilimè ab eis divelli queat; Hæc febris processu temporis confirmata Græcis μαρασμὸς Latinis Tabes & Marcor, nostratibus die Dörre q. d. ariditas oder die Schwindtsucht nominatur, id est, morbus consumens. *Marasmus.*

Est autem Hectica febris continua, id est, semper in corde & partium substantiis ardens easq; absumens, arefaciens & ad extremam macilentiam totum corpus deducens, cujus calor etsi quidem mitis, uniformis & æqualis *Quid?*

æqualis esse videatur, adeo ut æger ipse minimè se febrire sentiat, nec dolores inferat, (nullos enim excitat Paroxysmos) tamen præternaturalis & acris est, urens & exsiccans, qui brevi tempore omne primogenium sive humidum radicale primùm, in corde & per universas partium substantias perfusum absumat ac depopuletur. Deinde & humores secundarios ex assumpto alimento confectos & partibus nutriendis apponendos absumit & exsiccat. Tertiò quicquid in corpore pingue ac molle est, id omne colliquat & instar flammæ absumit, & ita universum corpus in extremum marcorem conjicit, nec medullis ossium parcens.

Cur hectici se febre correpti non sentiant.

Causa autem cur Hectica febre deprehensi nec se febrire sentiant, nec calorem doloremq; percipiant, ita ut sæpe & probè ratiocinando & compositè loquendo, extinguantur, instar accensi luminis, hæc est; Quod intemperies in Hecticis æqualis est & uniformis & calor febrilis calorem nativū suppresit ac vicit, in ejusq; locum in tota Substantia hominis succesit, nullamq; in corpore sibi habeat contrariam Qualitatem, ex qua contrarietate & dolor & Paroxysmus excitetur. Ideò calorem febrilem non sentit æger in Hectica, nisi post sumptum alimentum, ex quo cordis substantia ardens nonnihil irrigatur, qui mador ferventem vaporem excitat & ad exteriorem propellit; Quemadmodum calx viva aut silex candens si aqua conspergatur vaporem & æstum exhalat. Figmentum anile est, Febrim hecticam in 3. Species distinguere, cum unicus & uniformis sit calor, solidas partes vestans, non tamen ineptè eam quis remissionis & intentionis ratione in tria tempora divi-

Tria hectices Tempora.

dividere potest. *in Principium, Medium & Finem*, vel potius in 3. gradus; & principium quidem Hecticæ difficulter cognoscitur, cognitum autem facilè curatur: Finem autem & confirmatam Hecticam, quam μάρασμον à Græcis vocari dixi, non nisi Deus ipse miraculosè curare potest. *Marasmus incurabilis.*

CAUSÆ *Hectices* αἴτιαι. Sunt febres ardentes vel putridæ vel Ephemera diu perdurans, Hecticam antecedentes & in ipsam degenerantes: Item viscerum internorum ac potissimum cordis & partium Thoracis, Renum. Ventr. Diaphr. & colluvies biliosa & salsa pituita in thoracis capacitate collecta, similiter & pleuritis & φῦσις & περιπνευμονία & Ventriculi inflammatio, & colicus dolor malè & infeliciter curatus; Excitatur quoquè nonnunquam Hectica febris ex mœrore, doloreq; animi cor torrefaciente. *Summa*, Quidquid cor ipsum arefacit, Hecticam excitare potest, sine enim cordis siccatemperie ea generari nequit. *Causa.*

προκατ. seu foris incidentes causæ sunt assumpta intra corpus venena, alimenta ac potiones impensius calefacientes & exiccantes aut exulcerantes, diuturna mora in gelido balneo, aut vaporario, & post balneũ frigidissimæ potionis larga assumptio, & diuturna mora in gelido & extremè frigido aëre, item viscerum vulnerationes.

SIGNA Hectices febris incipientis quidem nulla dari possunt, nisi quis eam ex gracilitate tenuitateq; & biliosa constitutione corporis & pectoris angustia aliquem in Hecticam incidere, prædicere velit, εὐσαρκα enim & pinguia corpora non facilè à Hectica febre infestantur, Jam verò factæ Hecticæ signa manifesta sunt, nimirum totius corporis macilentia, quæ processu temporis ita ingravescit, ut præter cutim & ossa in corporis partibus nihil *Signa incipientis hectica obscurissima.*

U.B. Rostock

conſpiciatur aut deprehendi queat. Faciei cutis ſquallida eſt, oculi concavi, Tempora collapſa, ungues longi & incurvi, & totius corporis vividus color evanuit, ſomnus eſt inquietus & turbulentus, calor corporis ad contactum initio quidem mitis eſſe videtur, ſed paulo poſt magis magisq; acris erodens & ſiccus redditur. Volæ autem manuum & plantæ pedum ſemper calidiores ſunt quàm reliquæ partes corporis, id autem certiſſimum ſignum eſt Febris Hecticæ, quod paulo poſt aſſumptum alimentum & æger ſentiat vaporem calidum in corpore aſcendere & à quolibet tactu deprehendatur & expulſu dignoſcatur, calorem ſolito majorem in corpore excitari, cujus rei cauſam paulo ante commemoravi, dato exemplo à viva calce liquore perfuſo; In medio Hecticæ febris puncto propter pinguedinis & mollium partium colliquationem, & excrementa alvi pinguedine perfuſa cernuntur & in urina pinguedo inſtar aranearum telis innatat, quæ tamen ſigna ceſſant, ubi Hectica ultimum gradum attigit, & in μαρασμὸν tranſivit, quia nulla ampliùs pinguedo in corpore ſupereſt. Pulſus autem durus eſt, tenuis & creber, verùm urina in principio ſalubri ſimilis eſt, ſed deinde tenuis, ſubtilis & paulo rubicundior evadit.

Signa factæ hecticæ.

Conſummatæ.

SIGNA *Prognoſt.* hæc ſunt: Hectica febris in initio non curata proceſſu temporis in μαρασμὸν tranſit, μαρασμὸς autem eſt certiſſima via ad mortem. Pinguedo urinæ innatans Hecticæ certum eſt indicium. Quanquam etiam in plerisq; putridis febribus & inflammatione Renum, inflammatione diſcerni poteſt. Furfures in urina non affecta veſica, item crurum tumor in Hectica, & fluxus ventris & capillorum defluvium præſentis mortis indicia ſunt.

CURA-

CURATIO: Etsi Hecticæ curatio difficillima sit, quantum tamen in Medico est, minimè debet operam suam ægroto & suis amicis denegare, prædicendo tamen causas difficultatis. Oportet autem Medicum in Hecticæ curatione vigilantissimum esse, & omnem errorem in curando præcavere, præsertim qui deinceps emendari nequit, ac primum considerare debet, utrum Hectica morbus sit an Symptoma, qualis est in exulceratione pulmonum; Ubi enim Symptoma est Hectica, frustrà laborabit Medicus in ejus curatione, nisi prius morbum tollat. Porrò universa curatio Hecticæ febris consistit in alteratione, id est, refrigeratione & humectatione potius quàm in evacuatione. Quanquam nec ipsa evacuatio pharmacis mitissimis, si corpus sit κακόχυμον aut viscera sunt obstructa, negligenda. Alteratio autem, id est, caloris & siccitatis refrigeratio & humectatio perficitur victus ratione, remediorum intra tum extra corpus exhibitione, & Symptomatum quæ Hecticam comitantur, emendatione. Circa victus rationem causæ naturam nostram alterantes, quas *Res non naturales* Medici vocant, ita gubernandæ erunt; Aërem in quo versetur æger & decumbat oportet esse vel naturâ vel arte frigidum & humidum. Talis autem arte redditur, si cubiculi pavimentum vel solum aq. frigida crebrò conspergatur, aut floribus foliisq; virescentibus refrigerantium herbarum, ut sunt rosæ, violæ, gramina, fol. Salicis & Nymph. consternatur. In tali loco versetur æger, & lectus in quo decumbat adornetur. In lecto autem subjiciendæ sunt stragulæ molles, non multis plumis tumentes, quibus utilissimè aluta seu pellis ex quibus culcitræ præparantur, imponitur, & mollissimis & quàm mundissimis linteolis obtegatur, quæ lintea velut

Curatio.

Cautio.

Victus ratio

& stragula subinde mutentur. Stragula autem quibus se contegit æger non plumacea, sed ex pannis & lana, aut ex alia materia consuenda sunt. Ex plumis enim facilè inflammatur corpus & exacerbatur Hectica. Hyeme tamen & frigida constitutione aëris antequam se in lectum conferat æger, moderatè calefacere oportet stragula.

Ad cibum ac potum quod attinet, omnia debent esse refrigerantia & humectantia optimumq; sanguinem generantia, cujus generis sunt ex carnibus caro pullorum gallinaceorum, caponum, Perdicum, Avicul. sylvest. hædorum, vitulorum, agnorum, & Bovis juvenculi. Hæc autem elixa potius & jurulenta quàm assa conveniunt & omnia saccharo & uvis passis minutis condienda sunt: ex piscibus concedi utiliter possunt percæ aculeatæ, simplices, & lucij, item passeres & strumuli ac aselli indurati pisces, qui nostratibus Schullen vnd Bergerfisch nominantur, probè macerati ac cocti, anguillę pinguiores non elixæ sed assę concedi possunt. Reliqui autem elixari debent & condiri saccharo & uvis passis, quorum jusculà addita pauca Ichtiocolla cogi ac congelari debent. Inter pisces autem omnes convenientissimi sunt Hecticis, cancri fluviat. non ultra modum saliti, ex oleribus prosunt, Lactuca, Portulaca, Spinachia, Gingidion & Cariotarum radic. His addi licebit ova sorbilia aut ova confracta & in ferventem aquam elixa, ac cum albumi nibus non nimium induratis commiesta, Item ex ovis & lacte parati casei, utilissimi quoq; est lac ex amygdalis confectum & cremor Ptisanæ, & Hord. excorticatũ; lac item caprillũ recens mulctum

Cibus & potus.

mulctum & saccharo conditum. Ex fructibus prosunt prunaUngar.dul.cerasa,uvæ passæ & uvæ recentes,Amygdalæ, Pineæ & Pistacea. Lac omnium utilissimus cibus est Hecticis: Id enim non modò nutrit, sed & assumptam substantiam restaurat, humectat & refrigerat. Inter lactis autem genera laudatiss. est sugere lac mulieris sanæ & nitidæ, quod si haberi nequit, Lac caprinum recens mulctum & adhuc tepens pauxillo saccharo conditum manè ac vesperi bibitum; Verùm circa lactis & lacticiniorum usum id observabit Medicus, ut ne Hecticæ adjuncta sit alia febris putrida, ne adsit capitis dolor, ne ventriculus biliosa aut alia vitiosa colluvie sit infarctus. His enim minimè convenit Lac, statim enim assumptum corrumpitur & varia infert Symptom. Ideo explorare debet Medicus, utrum æger lactis usum tolerare queat, Ventriculo prius leni purgatione evacuato, exhibeat initiò ʒ iij. aut 4. lactis id si probè concoquat, & nihil molestiarum ex eo sentiat, nec post assumptum lac gravitas in ventriculo sentiatur, aut singultus excitetur aut vomitus nauseaq; succedat, nec calor in corpore nec pulsus intendatur, tum potest integra. ℔ manè ac vesperi propinari, post sumptum autem lac nec violentius se commovebit nec dormiet æger. In potu ad mensam utilis est Hecticis Cerevisia clara, qualis est Brunsvicensis vel apud nos Hyldensis. A mensa verò si sitis urgeat levanda est aq. hordei cum Sacch. aut Syr. Viol. dulcorata aut lacte ex 4. se. frig. ma. & aq. hord. confecta. Aqua autem hordei præparabitur ex hordeo & uvis passis adjectis, quæ per conservam Ros. ac violar. transcolari potest fervens. Aut levetur sitis aq. Stillat. ex capone, quæ non tantum sitim sedat, verùm etiam corroborat & assumpta restaurat. Aromata autem omnia & quæcunq;

Cautio in usu Lactis.

exiccant ac calefaciunt edulia ac potabilia, ut pernitiosa, fugienda erunt. Cum autem in Hectica febre nihil sit magis pernicioſum repletione cibi ac potus sive saturitate; hic ordo & motus in alimentorum assumptione est servandus. Parum cibi ac potus pro vice assumat æger, Interim tamen inediam ac sitim evitet diligenter. Præstat itaq; Hecticis, ter aut quater cibum ac potum offerre, & quidem parum ac boni succi ex iis quæ paulò ante sunt enumerata.

Somnus Vigiliæ.

Somnus longus utilis est Hecticis sed præfertur nocturnus diurno. Verum ubi vigiliis nocturnis infestantur à somno diurno minimè sunt arcendi. Somni autem tempus oportunissimum est 3. aut 4. horis ante alimenti assumptionem, aut post Balneum de quo paulo post dicam. Exercitium omnemq; corporis validiorem motum debet vitare Hecticus, quia exsiccat & calefacit. Satis itaquè fuerit si peracto somno æger artus omnes leniter volâ confricet, & caput pectine demulceat, ut pori aperiantur & leniter obambulet.

Exercitia.

Quantum ad excretionem & retentionem superfluitatum attinet cavendum est, ne alvus Hecticorum sit adstricta, neve excrementa cum alvi tum Vesicæ diutius retineantur, id si contingat leni Clystere subducatur alvus hunc in modum parato.

℞ *Malvæ. Mercur. Violar. Lactucæ ana M. ſ. Fl. Viol. Rosa. Nymph. Hordei ana. M. I. Sem. Lini* ʒ *ij.* concisa & contusa coquantur in q. ſ. aq. ad tertias, colati hujus juris accipiatur ℔ j. cui admisceantur *Pulpæ Cass.* ʒ *ij. ol. Viol.* ʒ *iij. Salis* ʒ *j. F. Enema.* Ubi verò & reliqua viscera obstructa esse conjiciantur, violenta quidem omnia Pharmaca evacuantia vi-

Pharmaca sint lenia.

tia vitanda erunt, & satis erit exhibuisse ʒ x. *Pulpæ Cass. aut* ʒ j. ß. *Mannæ in jure gallinaceo solutas aut* ʒ 4. *Syr. Viol. sol. cum aq. Lactucæ.*

Animi vehementes perturbationes, ac imprimis Ira, Tristicia & Sollicitudo vitanda sunt Hectico, convenit autem moderata lætitia, quæ per Musica Instrumenta, & suavia amicorum colloquia comparari potest. *Animi motus.*

Medicatione autem & Topicis & intra corpus assumtis remediis, ita procedendum est. Initiò si alvus sit adstricta, aut si hectica febris ex affectione Viscerum, Epatis, Renum, Ventr. aut intest. originem traxit, Clystere leni paulo ante descripto aut Cass. Mannave excrementa flatusq; subducenda veniunt. Deinde in Hectica febri utilissimum est singulis diebus bis aut ad minimum semel in lavacrum aq. dul. tepidæ deducræ, Cupham autem sive tinnam lavatoriam oportet tantæ altitudinis esse, ut æger usq; ad collum se mergere queat, & in ea quidem aq. concoquendæ sunt sequentes herbæ. *Balneum.*

℞ *Malv. Alth. Viola. fol. salicis capita papa. albi fol. Lactucæ, gramina viridia, fol. Tiliæ. fl. Rosa. Nymph.* ana ad libitum conscindantur & concoquantur. In eadem aqua decoquatur quoq; sacculus in quo consuta sunt *Semi. Lini fœnu Græci, ana* ℔ 5. *Se. Psilÿ* ʒ ÿ. *Rad. Althææ* ℔ 5. *Cort. Tiliæ* ʒ iÿ. Quo sacculo in balneo universum corpus confricetur. Fiat autem lotio pro virium ratione ad spacium unius aut semihoræ, & oportunissimum Lavandi tempus erit vel manè jejuno existente Ventriculo, vel paulo ante cænam, semper prius depositis excrementis alui & vesicæ, si modò natura ad egestionem sit prompta. Cavendum autem ne inter lavandum ipsum caput humectetur. At si vires valde sunt debiles, una hora ante quam in balneum descen-

descendat æger, commodè illi offerri comedenda possunt ova tremula ex aq. Rosa. saccharo conspersa, vel si famem ferre queat, ea ipsa ova post balneum offerantur. Lotione peracta universum corpus mundis linteolis æstate ad luculentum ignem, Hyeme verò in tepido Hypocausto abstergatur, ac postea rursum madefiat cum madidis linteolis in *aq. Ros.* imbutis, & ita per se siccare dimittatur, corpore exiccato inungatur spina dorsi & utraq; Hypochond. sequenti Linimento.

Linimentū à balneo.

℞ *Ol. Viol. Rosa. Nymph. Citon. ana* ʒ *ij. Amygd. dul.* ʒ *iij. Mucag. ex se. Citon. & Pſylij cum lacte muliebri confectæ* ʒ *ij. ceræ albæ q. s. F. Linimentum aut* ℞ *Ping. Gallin. vet. Medullæ cruris vitul. Butyr. rec. non salit. ana* ʒ *ij. liquefiant. eiq; admisc. ol. viol. Amygd. dul. Nenuph. ana* ʒ *j. Ceræ q. s. F. unguentum, quod ter quaterve elvatum cum aq. Rosa. Deinde admisc. Mucag. ex se. Citon. & Pſylij* ʒ *ij. cum lacte muliebri facta, probè subigantur F. unguentum.* Hisce unguentis & inunctionibus uti poterit æger quotidie bis, etiam extra lotionem, interim tamen si in Hectica adsit quoq; vel Epatis vel Renū vel Ventriculi vel intest. inflammatio, illorum quoq; viscerum regiones peculiaribus Linimentis & oleis convenientibus diligenter sunt inungendæ, ut si Epar sit inflammatum, dextrum hypochond. inungatur *ol. Rosa. & Nymph.* si ventriculus uratur inungatur *ol. Masti.* & sic de reliquis. Post balneum & inunctionem ad unam vel semihoram quiescat æger si somnus irrepat, dormiat parum, sed si à siti urgeatur, ante somnum bibat haustum vel *lactis Amygd. vel Caprilli.* Ac tandem post 1. vel alteram horam alimenta seu cibi ac potiones parcissime ut supra monuimus ex iis quæ anno-

annotata sunt, vel ex caponibus pullisq; contusis eis offerantur. Remediis autem & alterantibus & naturam corroborantibus absumptamq; substantiam restituentibus & hisce similibus hac sequenti ratione utatur. Foris applicentur Epithemata per intermedias horas, & cordi quidem tale. *Epithema.*

℞ *Aq. Still. Nymph. Lact. Viola. Rosa. ana* ℥ *ij. Aceti rosa.* ℥ *j. Camphora in eis dissoluta* ℈ *j. Sandali rub. Sp. Diamarg. frig. ana* ʒ *j. F. Epithema,* quod duplicatis linteolis exceptũ cordis regioni imponatur & exsiccata in eo iterum madefiant; Epatis vetò regioni seu dextro Hypochond. tale concinnetur Epithema.

℞ *Rad. Pimpin. Endi. Cicho. ana* ℥ *ß. Rad. Borrag.* ℥ *j. Conf. Ros. Borrag. Bugloss. Viol. Nymph. ana* ʒ *vj. Hord. mundati M. I. pru. Ungar. No. x. Pass. mi.* ℥ *j. Sebesten No. x. concoquantur cum* ℔ *4. aq. in duplici vase per ij. horas colentur colato juri admisc. Syr. Cicho. Nymph. ana* ℥ *j. ß. Viol.* ℥ *ij.* cujus mane ebibat ℥ v. donec tota potio sit assumpta. Vesperi autem ituro cubitum, præbeatur *lactis ex 4. se. major. contusis cum q. s. aq. Hord. parati & Saccha. Candi in Syr. Viol. concreto,* ad palati ægrotantis placitum dulcorati haustus. Et eo quidem lacte & interdiu ad sitim restinguendam uti poterit. Quamvis nihil utilius hecticis quàm aqua ex 4. sem. frig. major. fl. Cordial. & herb. Epat. cum Sanguine porcelli destillata, & man. Christi cum perlis dulcorata. Aut matutino tempore bibat haustum sequentis potionis.

℞ *Lactuca. Bugl. Portul. omnium virescentium M. S. 4. se frig. ma. ana* ℥ *ß. se. Berberis* ʒ *ij.* cum hisce præscriptis herbis decoquatur capo vel pullus gallin. qui è jure extra- *Aqua Caponum.*

M ctus

us unà cum herbis contundatur & in balneo Mariæ deſtilletur F. liquor limpidiſſ. Aut

Aq. anguillarum.

℞ Caponem aut pullum galli eviſceratum, cujus capacitati impone anguillas excoriatas & in fruſta conciſas ſimulq; concoque ad ſemiperfectionem. Deinde è jure exemptus contundatur & in balneo Mariæ deſtilletur, præſcripti utriusq; liquoris ſæpe bibat æger ʒ4. Mirum enim in modum refrig. & humect. Idem præſtat &

Aq Cancrorum fluviatilium.

aq. ſtill. cancr. flu. à teſtis liberatorum & ſemicoctorum ſine ſale, aut utatur ſequenti potione manè ac Veſperi.

Hic adjici poteſt aq. limacum.

℞ *Rad. Bugloſ. ʒj. Glycyr. abraſæ ʒ5. Rad. Satyr. ʒj. 5. Herb. Lactucæ, Portul. Cicho. ana M. 5. Sc. Malvæ M. I. Sebeſten No. x. 4. ſem. frig. ma. ana ʒij. Sem. Alkekengi ʒj. 5. Berbis, Sem. Citon. ana ʒj. Conſ. Viol. Bugloſ. Nymph. ana ʒ5. carnium cancorum ſemicoctorum ſine ſale & à teſtis mundatorum ʒij.* His omnibus contuſis & conciſis affundantur aq. hord. ſimpl. ℔ 6. & ſimul concoquantur in cantharo probè obturato & in ahenum aq. plenum collocato ſive in duplici vaſe per 2. hor. refrigerata colentur, & colato liquori immiſc. Saccha. candi Viola. q. 5. produlcoratione F. potio, utiliſſimum quoq; erit ſubinde bibere aquam ſtillatic. Violarum purpurearum cum *aq. Nymph. aut aq. cancrorum, prius ſine ſale coctorum aut aq. teſtudinacea*, quæ ſi in promptu haberi nequeunt, ſubinde ut diximus, utatur æger aut *lacte caprillo, aut cremore ptiſanæ aut aq. hord. cum q. ſ. ſacch. candi aut Syr. Viol. dulcorata.* Porrò ad virium corroborationem, & aſſumptæ ſubſtantiæ reſtaurationem, crebrò & diu & noctu guſtet æger fruſtulum Marcypanis placentæ, quæ conficienda eſt *ex Amygdalis, nucleis pineis, aut Piſtaciis ana ʒiij. prius probè emundatis & craſſiuſculè*

conci-

concisis & in aq. Ros. per noctem maceratis, ac deinde cum albissimi sacchari ℔ j. in mortario diligenter contusis, Irrorato pauxillo aq. Ros. cum quibus simul contundi possunt 4. se. frig. ma. ana ʒ s. F. s. a. panis Martius. Ex præscriptis rebus commodè confici quoq; possunt & morsuli adjectis carnibus caponum aut perdicum concoctis & minutissimè concisis cum *cum sacch. albiss. in aq. Viol.* resoluto & ad perfectionem cocto, quibus addi possunt *& Spec. Diamarg. frig. aut Diatrag. frig.* pro Medici arbitrio, aut æger gustet crebrò & semper post sumptum alimentum, ubi amplius non bibere vult semijuglandis quantitate sequentis Electuarij.

℞. *Rad. Cicho. condit. citri. condit. ana ʒ j. pyrorum, Mosc. cond. Diaciton. ex succo Citon. & Sacch. sine speciebus conf. ʒ s. quibus minutissimè concisis admisc. conf. Ros. Viol. Borr. Nymph. ana ʒ s. sp. Diamarg. frig. Diatrag. frig. ana ʒ j. s. pul. sem. pap. albi sem. Portul. ana ʒ j. Coral. rub. præp. ℈ ij. cum q. s. Syr. Viol. F. Elect.*

Ditioribus ol. perlarū & omnia ex perlis facta auxilium præsens ferunt.

Quia verò diuturnior semper est curatio Hecticæ, quàm aliarum febrium, ne æger unius aut alterius remedij continua usurpatione fastidium concipiat subinde medicamenta mutanda sunt, & nunc illud nunc aliud ei offerendum. Porrò ubi Hectica febris adjunctam habet sibi putridam febrim, quod non rarò accidere consuevit, tum nec illius curatio omitti debet: Sed si vires ferant, certis intervallis validioribus remediis putrida illa colluvies & materiæ putridæ febris concoquatur & evacuetur, benignis tamen Pharmacis: Quibus evacuatis præscriptis remediis ad Hecticæ curationem statim procedatur. Quæ autem remedia singulis putrescentibus humoribus maximè accommodata sint, supra in curatione febrium humoralium tradidimus. Quibus præterea remediis Symptoma-

ptomata Hecticæ febris, ut sunt alvi fluxio, Syncope, & Timilia, quæ Hecticam comitari solent, mitiganda ac tollenda, paulo post in Symptomatum febrilium curatione & enumeratione dicemus.

Hectica Senilis sive Senum marcor quid? quæ ejus causæ, signa, & quomodo curanda.

Hectica senilis.

Non ab Hectica febre tantum exaresçit humidum primogenium in corde & aliis viscеribus, & absumuntur molliores corporis partes; verùm etiam à senio ætateq; decrepitorum, quæ tamen absumptio longè diversa ratione fit, quàm in Hectica febre; in qua præternaturalis calor Substantiæ partium imbutus depopulatur & humidum radicale & humores alimentarios & colliquat corporis partes. In senecta autem diminuitur calor nativus & augetur frigiditas, quæ conjuncta est cum summa siccitate, per exiccationem itaq; non per inflammationem in senibus absumitur substantia partium corrugaturq; cutis ac debilitantur omnes vires. Constat autem macilentiæ & absumptioni senum nullum hactenus remedium inventum fuisse, quo & nativus calor & humidum radicale restaurari potuisset. (Hoc enim si possibile esset immortalitatem senibus polliceri possemus.) Quicquid tandem impudentissima Paracelsi pecora de suo auro potabili & gemmarum tincturis ac magnalibus nugentur ac glorientur, se nimirū posse illis hominibus jam decrepitis juvenilē formā & vires restituere, & vitā ad multa sæcula producere, quæ meræ sunt præstigiæ. Cum itaq; inevitabile sit fatū semel mori, satis erit cordatis Medicis de conservatione sanitatis senilis Homericum præceptum illis adhibere. Ita autem

autem inquit Homerus Φιλέσαιδ φάγητε ἐυδέμεναι μαλακῶς ἢ γὰρ δίκη ἐστὶ γερόντων. Hæc conveniunt & ſalutaria ſunt ſenibus, crebrò lavari, ferculis bonis, bonoq; vino veſci, in molli lecto placidè dormire, & nullis curis gravari. 11 Diæta ſenib.

Eſt tamen marcor morbus, quo non tantum ſenes ſed & in aliis ætatibus conſtituti corripi poſſunt, quam Hecticam ſenilem inde quod marcorem & rugas ſeniles inducere conſuevit, ſed minùs propriè vocitant. Non enim eſt Hectica, nec febrim habet adjunctam ut Hectica, ſed potius ex ſiccitate ſolidarum partium originem habet.

CAUSÆ hujus ſenilis marcoris ſunt προηγ. quidem extrema ſiccitas & caloris nativi penuria in ſolidis partium ſubſtantiis, ac potiſſimum cordis & aliorum viſcerum, in quibus humidum radicale & alimentarium exſiccatur. Item immoderata refrigeratio partium Nutritioni ſervientium: Aut durus & Scirrhoſus tumor earundem partium imprimis Epatis, Ventriculi, Renum & inteſtinorum. προκατ. cauſæ poſſunt eſſe venena & alimenta impenſiùs refrigerantia & exiccantia; imprimis mæror.

SIGNA Hecticæ ſenilis quantum ad habitum corporis attinet, ſimilia ſunt marcori Hecticæ febris atq; φθίσεως. In his tamen differunt, Extremæ partes ſemperfrigent, ideo ignis luculenti præſentia delectantur, nec poſt aſſumptum alimentum calor in corpore uti in Hecticis magis augetur, neq; volæ manuum ſunt calidæ, Urina magis eſt cruda, & albidior, verùm ex urinis non poteſt certi aliquid ſtatui, cum & color urinæ & ſubſtantia per aſſumta ſubinde mutentur. Signa.

Prognoſticum eſt; conſummatus diuturnusq; marcor ſine febri, in quo cor aridius eſt factum, ejus fruſtra curatio tentatur. Prognoſt.

Cura.

CURATIO Hecticæ senilis in humectatione & moderata calefactione, virium corroboratione, & assumptæ substantiæ restauratione consistit, quæ per victus rationem, remediorum adhibitionem & balnea humectantia ac modicè calefacientia tentanda sunt.

In victus ratione aêr ad humiditatem & moderatam caliditatem declinare debet, cibi quoq; sint humectantes & moderatè calefacientes, concoctuq; faciles, ac purum sanguinem generantes, ut sunt carnes pullorum gall. caponum, perdicum, avicularum sylvestrium & bovis juvenculi, ex iisq; parata juscula, ova sorbilia & ex iisdem cum cerevisia confectum jusculum. Ex piscibus percæ aculeatæ cum vino coctæ, ac cum cinamomo ac saccharo conditæ; item lac amygd. Amygdalæ pineæ nuclei & uvæ passæ. Lac caprillum & oryzacum lacte caprill, & saccharo cocta, Item cremor ptisanæ & grumi hordeacei, id est, hordei excorticati (Gerstgruben nostrates vocant,) cocti cum jusculo carnis ovillæ aut caponum. In potu conferunt vinum Rhenanum opt. cujus ℔ admixtæ sint ℥ iij, aut 4. *aq. hord. & sacchar.* ad arbitrium ægrotantis: de ordine & modo bibendi edendiq; id observetur, ut pro vice parum & in die ter aut quater alimentum offeratur, idq; prospiciendum, ut si alvus sit obstructa, leniatur enemate ex foliis *Mal. alth. flo. chamæ. Melil. & anheti decoctis, cujus ℔ admixtæ sint pulpæ cass. ℥ ij. & ol. anethi ac Chamæ. an. ℥ j. 5. salis ℥ j.* Quo Enemate singulis septimanis semel aut etiam pluries si necessitas exigit, uti poterit. Balneum instituatur aq. dulcis in tinna sive cupha, in qua concoquantur herbæ odoratæ humectantes & moderatè calefacientes ut sunt *rad. Alth. Malv. cũ foliis Meliss. Salviæ, Major. Melil. Chamæ. Aneth. Bethon. Serpill. & similes.* Post balneum in-

unga-

ungatur ſpina dorſi *ol. amygd. dul. chamæ. Aneth. ping. rec. gall.* & ex his præſcriptis concinnato unguentum, cui *mucago ex ſe. lini & rad. Alth.* cum lacte muliebri confecta pro arbitrio ad miſceri poteſt. Ventriculus autem ſemper inungatur cum ol. calefacientibus & humectantibus, qualia ſunt *de Mentha Abſinth. Nardo & Maſtiche*. Vires corroborentur & abſumpta ſubſtantia partium reſtauretur *Elect. & Morſellis & Marcipane*, quæ paulo ante in hectica febri præſcripta ſunt, additis tamen aromatibus, ac ſpeciebus moderate calefacientibus; ut *Zingib. condit. cinamo, & ſpecieb. aromatic. Roſa. Diarhod. Abb. & ſimilibus.* Hæc de hectica ſenili mihi dictanti anno 1577. die 12. Auguſti oblatus eſt æger, vir nobilis Johannes Rekentin Hectica ſenili ſatis confirmata correptus, & tam macilentus ut vix oſsibus hærere videretur, in cujus curatione præter præſcripta remedia primum exhibui ʒ *x. P. Caſſ.* Deinde cum originem mali ex ventriculi & inteſtini vitioſa conſtitutione haberet, quotidiè manè ac veſperi exhibui *gutt. xj. ol. vitriol.*, & quotidie ſemel in balneum collocavi & inunxi, ac ſpero ſalutares *manus Chriſti* ſummi Archiatri, quem mihi collegam exoravi, meam curationem proſperum eventum habituarm.

SECTIO

SECTIO TERTIA
DE PESTE.

Quæ Febris in omnibus humanæ naturæ partibus accenditur, totiq; naturæ pernitiem adfert?

PEstis sive febris pestilentialis. Omnes enim aliæ febres incendũtur aut inspiritibus, aut in humoribus, aut in solidis partibus tantum. Ex iis enim tribus partibus constare humanam naturam ait *Hippoc.* Pestilens verò febris, omnes hasce partes brevissimo temporis spatio adoritur, vastat & destruit, ac primum quidem pestilens contagio cum aëre infecto intra corpus hausta accendit Spiritus & levissimam excitat febrim, ephemeræ similem, ac mox in humores transilit, eosq; corrumpit, aut primum humores aggreditur, cum sævissima febre, & diris symptomatibus: Paulo post humidum primogenium in solidis partibus sparsum depopulatur, in eoq; calorem nativum extinguit, vitæquè perniciem adfert.

Pestis sive Pestilentialis Febris Quid.

Appellationes pestis.

Λοιμὸς Pestis & ἐπιδημία morbus popularis & πυρετὸς λοιμώδης Pestilens febris seu contagio idem significant, & sunt nomina unius sævissimi & contagiosi pernitiosissimiq; morbi, qui eodem tempore certisq; in locis sua contagione permultos inficit & jugulat; Febris autem pestilens nominatur, quia perpetuò cum febre miti quidem, si spiritus occupavit, sævissima autem si in

si in humoribus primum est accensa homines invadit. Pestilentem febrim *Hieronymus Fracastorius Italus Medicus ac Philosophus Doctiss.* ita describit: *Pestilentem febrim dicimus esse febrim sordidæ & profundæ putrefactionis, includentem seminaria acutissimæ contagionis per se, propter quod & lethalis est, & ad alios contagiosa*; verum cum putredo per se non sit sufficiens, ut contagiosa sit febris, nisi inclusa habeat seminaria pestis, & quid illud sit seminarium, nondum sit satis explicatum, quod nos Qualitatem seu tincturam venenosam esse judicamus, & tamen quale sit illud seminarium & unde in aërem accedat ignoremus, aliam definitionem pestis causalem, Christianæ fidei analogam subjiciemus. Nimirum *Pestilentiam sive pestilentem febrim esse pœnam divinam ulciscentem enormia scelera hominum, per venenata seminaria pestis in aërem à Deo sparsa, ac deinde per contagionem, in multos propagata.* Et ab hac definitione non dissentit *Hippocr.* Qui pestem Divinum quiddam esse fatetur, nec *Gal.* ipse qui *lib. 1. cap. 4. de differentiis febrium*, ubi de causa febris pestilentialis disserit, ita inquit πεφυκεναι ἐμφέρεσθαι πνεῦμα λοιμῶδες σπέρματα, id est, in aëre contineri quædam pestilentiæ seminaria. Et cum *Galenus* non explicet quid sint seminaria pestis, nos venenatum & contagiosam qualitatem à Deo in aërem sparsam judicamus.

Definitio Theologica

Quid vocetur contagium, & qui morbi sint contagiosi.

Contagium est quicquid aut corporali suo contactu, aut mediante spiritu, aut aëre halituq; aut forte alium inficit, & suam venenatam qualitatem communicat. *Fracastorius dicit: Contagium esse infectionem quandam ab uno in alium transeuntem.* Plures autem sunt morbi contagiosi, sed

Contagium quid.

sed non ut pestis lethales, ut scabies, lepra, elephantiasis, & Siphilides, quas morbum Gallicum vocamus, variolæ & morbilli, qui suo contactu inficiunt, φθισις contagiosa est per halitum ex infecto attractum. Lippitudo contagiosa est per radios spirituum; Pestis autem contagiosa est, cùm per aërem infectum, tum per halitum infecti, tum fomitum semina pestilentiæ in se continentem.

Pestis quot modis contagiosa.

Quomodo & quot modis Pestilens contagio inficiat hominum corpora.

Pestis communicatur corpori tribus modis.

Diximus seminaria pestis sive tincturam per aërem esse sparsam; cum autem ad conservationem vitæ, aëre ne momento quidem carere queamus, sed subinde intra corpus nostrum attrahere cogamur, idq; tum per inspirationem per os & nares; tum per perspirationem per poros cutis, qui non aliud sunt, quam oscula arteriarum ac venarum, per quæ corpus universum perspirabile est, in quæ ubi aër pestilens irrepsit, statim in venas ipsas fertur, & sanguinem reliquosq; humores inficit ac corrumpit, si verò per oscula arteriarum irrepit, ad cor defertur & spiritum vitalem inficit & febrim pestilentialem accendit. Secundò inficiuntur corpora per halitum & vapores ex conversatione infectorum attractos, simili ratione ac per aërem inspirando & perspirando. Tertiò inficiuntur fomite, id est, contrectatione & usurpatione rerum corporumq; à pestilenti contagione infectorum, in quibus seminaria pestis continentur, tincturaq; pestifera imbuta sunt, ejusmodi sunt vestes, stragulæ, lectuli, merces, cistæ, vasa lignea, ædes infectæ, conclavia infecta, parietes, libri, & omnia vasa utensilia in loco non perflabili & pestilentiali contagione infecto contenta & occlusa, in quibus pestilens

stilens contagio etiam per multos annos delitescere ac alios suo contactu inficere potest. Nec id sanè admirationi nobis esse debet, cum videamus alieno odore & lignea vasa & cubicula imbui, imbutumq; odorem longo tempore in iis conservari, & videmus parietibus tabulatisq; tincturam fumi tam tenaciter in hærere; at tinctura pestis per aërem sparsa longè tenuior est, penetrantior ac tenacior, quàm ullus odor aut fumus, quæ tinctura similis ferè est odori exigui fili sulphurati, si accendatur, qui citissimè totum conclave replet & inficit, & ad nares omnium, qui in cubiculo sunt, sine deprehensione visus, fertur. *Simile.*

Quæ corpora sint magis apta ad concipiendam pestilentem contagionem? Et cur quidam cum contagiosis continuè conversantes, non inficiantur.

Non omnis pestifera contagio ejusdem est naturæ, vel non ad omnia corpora æqualem habet conformitatem, aliæ enim contagiones pestiferæ analogiam habent ad corpora puerorum ac juvenum, aliæ ad corpora adultorum, aliæ, sed rarius, ad senes, & si quid conditio fortunæ ad id faciat, aliæ habent analogiam ad corpora prædivitum, aliæ ad tenuioris fortunæ hominum corpora, aliæ magis ad alterutrum sexum; præterea aliæ analogiam habent ad spiritus, quæ omnes quotquot corripiunt jugulant; aliæ ad corpora sanguinea, aliæ ad biliosa, aliæ ad pituitosa; rariùs ad Melancholica. Ea itaq; corpora ad quæ pestilens contagio analogiam & similitudinem habet, omnium maximè & citissimè inficere solet. In genere autem ea corpora, quæ temperamento humidiora & calidiora sunt, & quæ multa sordida colluvie sunt referta, item quæ cutis raram habent texturam & constitutionem, & *Corpus corpore in imbibendæ pestis capacius*

poros nimium dilatatos ac patentes, ea magis sunt apta ad concipienda seminaria pestis; Quod autem quidam in pestilenti aere & inter infectos continuè versantes non inficiantur à pestilenti contagione, hujus rei tres potissimum possunt dari rationes: *Prima & præcipua* est Divina conservatio ac protectio, quæ eos potissimum conservat mirabili ratione, qui in officio suo versantur fideliter, ut sunt, ægri administri, verbi divini concionatores & fideles Medici, qui ratione officij suam operam & præsentiam infectis denegare non possunt, idq; juxta illud; Angelis suis mandavit de te, ut custodiant in viis tuis, id est, tua vocatione.

Rationes, cur aliqui cum pestilentibus cõversantes non inficiantur.

Secunda est, quod pestis seminarium sive tinctura ea corpora ad quæ non habet analogiam non facilè tingit aut inficit, *Marsilius Ficinus* recitat historiam, quales & hodie sæpe contingunt, se habuisse puellam 12. annorum peste infectam, quæ filiolum infantem per integrum diem gestarit, & præmansum cibum ex ore infecto præbuerit, & tamen non sit infectus infans, reliquos autem qui proculstarent infectos fuisse. *Tertia est* assuefactio & audacia: *Consueta enim minùs lædunt*, teste *Hipp. 2. Aph.* 50. Qui itaq; soliti sunt diutius cum infectis conversari, non facilè inficiuntur.

Quæ sint causæ Pestilentis contagij.

Causæ pestilentiæ.

Causas morborum distinguunt Medici in αὐτοφυεῖς interiores sive intra corpus delitescentes, & in προηγουμένας, id est, externas, quæ foris accedentes, morbos excitant. Pestilentis autem contagij causas ajunt esse Medici sordidam in corpore putrescentem humorum colluviem: Venarum & arteriarum obstructiones, quam semper

semper sequitur putrefactio, & animi perturbationes & anxietates; *Nam tempore pestis plures metu pestilentiæ & mortis fere inficiuntur, quàm è contagioso aëre.* Perturbationem itaq; animi ego maximi momenti causam esse judico, Per quam magna hominum pars peste corripitur. Omnium autem causarum ἀιτιατῶν quarum aliæ ex astris, aliæ ex aëris suprema regione, aliæ ex aquis, aliæ ex terra pendent. Ex astris aërem inficiunt Medici, ubi Martis & Saturni stellæ in humana figura asterismo coëunt, vel cum ipsis erraticæ stellæ aut conjunguntur, aut nos infeliciter intuentur; id autem probant astrologicis rationibus: Sed certum est ex astris non posse contagionem pestilentem pendere, nisi per accidens, ubi nimirum motu aut lumine suo vapores terros ac venenatos è terra & aquis eliciunt & in aëra trahunt. Itaq; hæ causæ ex astris ut non contemnendæ, ita non magnopere extimescendæ. Ex aëris suprema regione inferiorem & nostrum corpus ambientem aërem inficiunt tradunt, ubi ex aquis & terra, ut diximus, vapores halitusq; syderum virtute sursum trahuntur, & in suprema aëris regione exiccati incenduntur & exuruntur, quorum cinis recidens inferiorem aërem venenata pestilentia tingit. Vt cum Cometæ aut caumata seu incensiones aliaq; ignita portenta in aëre flagrant & consumuntur: & Porphyrius de Cometis scribens Cometam ab oriente emergentem ad occidentemq; vergentem gravissimam pestem, quam nemo evitare queat, inferre hominibus, ait. Ex aquis pestilenti contagione aërem inficiunt, ubi ex putrescentibus lacubus, & stagnantibus aquis, in quibus ob insignem putredinem pisces mo-

riuntur, anguillæ ad ripas progrediuntur, & reptilia innatantia in littus prorepunt, matutino tempore halitus elevati in aëre tanquam nebulæ diutius hærent, ac tandem per aëra dispargunturEx Terra oritur contagio, cum per terræ motum venenatus halitus erumpit, qui aerem facilè inficere potest, aut ubi per terram in aliqua regione cadavera clade occisa inhumata manent ac putrescunt, aut ubi in aliqua regione annonæ caritas famesq; durius ac diutius homines affligit. Ex prava enim victus ratione pestilens putredo in corporibus generatur, quæ tandem per mutuam conversationem ex venenata exspiratione se mutuò inficiunt, juxta vulgatum dictum: λοιμὸς μὲτ λιμόν; Pestis post famem. Et has quidem causas ac consimiles pestilentem contagionem excitare & significare posse, ipsa ratio & experientia testatur; Verùm quia non semper eventus has causas sequuntur, sæpiusq; fallunt, vel sanè aliam calamitatem quàm pestem mortalibus adferunt, (*pura enim corpora aquè & sæpe citiùs quàm sordida colluvie & helvatione infarcta inficiuntur*) sæpè & ad cometarum apparitiones & stagnorum putrescentiam pestes non sequuntur: Longè alias & certiores venenatæ pestis causas à *Moyse & Prophetarum* scriptis haurire possumus. πονηρὰ. quidem esse flagitia, & enormia peccata hominũ, προκαλ. autem iidem docent esse ipsum Deum irascentem peccatis & spargentem seminaria pestis in aerem, quibus flagitia puniuntur, non multum habita ratione corporis, utrùm sint pura vel impura, nec ætatis aut sexus.

Signa Pestilentiæ & infectorum Quæ.

Signa futuræ pestis. Triplicia signa pestilentis contagionis traduntur, Pestis videlicet futuræ, præsentis & infectorum.

Signa

Signa futuræ pestilentiæ in causis Procatharticis, quæ & causæ & signa sunt, recensuimus, nimirum astrorum infelices collocationes, cometarum & causmatum incensiones, austrorum crebros & pluviosos flatus, aquarum inusitatas inundationes, stagnorum putrefactiones, locustarum & cadaverum corruptiones, terræ motus, annonæ diuturnam caritatem, & similes, quæ signa ut plurimum hæc lues sequi solet. Præterea certissima futuræ pestis indicia sunt, ubi in alia regione vel urbe scelera hominum accumulãtur, & vitia pro virtutibus habentur, & enormia flagitia impunita relinquuntur, Deiq; verbum contemnitur, hominesquè amplius à spiritu DEI se regi non patiuntur.

Signa præsentis pestis evidentia sunt; ubicunq; enim *Præsentis.* in eodem loco ac tempore consimili morbo plurimi moriuntur, & alij ab aliorum consuetudine ac conversatione inficiuntur, præsentis pestis ac contagij certissima sunt indicia. Remotiora signa præsentis pestis sunt, canum nocturni fœdi latratus atq; ululatus in fastigiis domorum.

Signa verò contagione jam infectorum, alia sunt *Infectorum* communia, alia lethalia. Communia & vulgata ipsa symptomata sunt, ab infectione in corporibus excitata, quæ tamen variantur pro natura & temperamento corporum; ejus generis sunt febres vel mites & insidiosæ vel feroces atq; malignæ. Febrium autem Satellites, qui & antecedunt & comitantur febres pestilentes sunt hi præcipui; Insolita lassitudo corporum, capitis dolor, somnus profundus, nonnunquam vigiliæ, faciei decoloratio, anxietas, cordis palpitatio, morsus circa præcordia, appetitus prostratio, nausea, vomitiones, sitis vehemens, linguæ ariditas, quandoq; sordities, bubones & anthraces circa emun-

emunctoria, ex quorum eruptione quoq; dignosci potest, quodnam principale membrum maximè sit infectum; Bubones enim sive tumores vel carbunculi pone aures aut circa collum erumpentes, cerebrum; sub alis, cor; circa inguina epar, venenata pestis qualitate imbuta esse ostendunt. *Quando verò nulli vel bubones vel anthraces in pestilenti infectione erumpunt, eò est pestis pernicioſior.* Venenum enim tum in spiritibus, & non in corruptis humoribus delitescit, & naturę expulsiva vis, quæ venenum expellere debebat, prostrata est. His signis accedunt alvi nonnunquam obstructio, item excretio alvi putrida & fœtida. Ex pulsu autem & urina infectorum nulla certa indicia sumi possunt, quæ subinde variantur pro humoris corrupti natura. Urina enim in quibusdam rubet, in aliis livida aut subnigra in aliis crassa & urinæ subjugalium similis, in quibusdam tenuis & cruda. Nonnunquam sanis & inculpatis urinis simillima. Hujus causa est tinctura pestis non in sanguine aut humoribus, sed in spiritibus hærens. Alij dicunt causam esse expulsivæ facultatis imbecillitatem, quæ crassiores sanguinis & humorum partes per renes non amplius secernere & propellere queat.

Signa lethalia.

Signa lethalia & pernitiosa sunt repentina omnis virium in initio prostratio, nigræ evomitiones, bubonum carbunculorumq; & maculârum subita eruptio extra cutem, & subita iterum evanescentia, anhelitus fœtidus, sanguinis è naribus profusio, si nulla sequatur morbi levatio; Remotum signum mortis est, noctuarum ad fenestras ægrotantis volatus & infelix clamor. Punctorum livescentium subnigrorum per cutem effusio, certissimum est indicium præsentis mortis.

Pestilen-

Peſtilenti contagioni qualis ſit adhibenda curatio.

Admiratione dignum eſt, quod veteres Medici *Hipp. & Galen.* etſi peſtis & peſtilentium febrium ſæpe mentionem faciunt, de ejus tamen curatione nihil laude dignum tradant, forſan quod ejus curationem valde incertam ac difficilem eſſe viderint, vel quia peſtem à Deo ipſis mortalibus immitti, cujus potentiæ ac voluntati nullis remediis reſiſti poſſit, arbitrati ſunt. *Hipp.* enim peſtem *divinum quiddam* eſſe dicit: *Et Galenus ejus cauſam prapotentem eſſe ſcribit. Et Hipp. quidem hæc verba ſubjungit:* τὰ φυσικὰ βοηθήματα ὑπὸ λυει τὴν θεϊκὴν λοιμικὴν πάθος, id eſt, *Naturalia remedia non tollunt luem peſtilentis morbi.* Nos Deo auxiliante tripartitam peſtilentis cõtagionis inſtituemus curationem; nimirum; *Præſervativam, Liberativam & Symptomatum remotivam.*

Veteres nihil laudabile de curatione peſtis.

Curatio Peſtis Præſervativa, in quibus rebus conſiſtat.

Præſervativa curatio, quæ Græcis τὸ φυλακτικὴ nominatur, verſatur circa juſtam gubernationem cauſarum naturam noſtram conſervantium, ſeu earum rerum, citra quarum inculpatam adminiſtrationem homo diu vivere nequit, quas Medici Res non-naturales vocant, quæ ſunt numero VI.

I. Aër. II. Cibus & potus. III. Somnus & Vigilia. IV. Motus & quies. V. Excretio & retentio. VI. Animi perturbatio ſeu affectus. His adjicitur & *remediorum intra & extra corpus adminiſtratio*, de quibus rebus breviſſimè diſſeremus, & remedia prophylactica ubiq; referemus, ac in fine experta quæq; pharmaca enumerabimus.

Aëris qualis habenda ratio sæviente Pestilente contagione.

Aer principalis pestis receptaculū

Aërem seminariorum pestis esse receptaculum & tempore pestis semper venenata qualitate tinctum & imbutum esse, paulo antè commemoravimus. Quicunque enim peste inficiuntur, sive id contingat per inspirationem, sive per perspirationem, sive per fomitem, corporumq; infectorum contrectationem aliorumq; exhalationem ac transitum ab uno ad alium, omnes eos peste contaminari mediante aëre necessum Quare inter omnes causas, quibus natura nostra conservatur, in *curatione præservativa omnium maxima & diligentissima habenda est ratio aëris*, ut nimirum quàm fieri possibile est, eum evitemus infectum, & è corporibus nostris excludamus, aut tantum ut prius correctum & probè purgatum purificatumq; admittamus & hauriamus. Ad evitandum autem aërem contagiosum, omnium medicorum consensu & rationis approbatione nullum præsentius remedium est tempestivo discessu è loco infecto in salubrem. Hæc *tria* enim *adverbia* cum tribus suis verbis certissima sunt remedia pestis, *citò fugere, procùl discedere, & tardè redire.* Verùm cum non omnibus liceat suæ saluti fugâ consulere, & sine notâ impietatis vocationem suam deserere, ex infectoq; loco in salubriorem discedere, summâ curâ adnitendum est, ut & publicus communisq; aer, & domesticus subinde alteretur, corrigatur, purificetur & pestis seminaria in eo extinguantur.

Quomodo & quibus rationibus publicus ac communis aër commodè purificari queat.

Ad publici aeris purificationem necessariò requiritur boni

boni ac pij Magistratus autoritas & officium, ut nimirum magistratu præcidat omnes occasiones putrefactionis & infectionis publici aeris, id quod fieri potest, si omnibus subditis severè injunxerit studium mundicici, & curaverit ex publicis plateis ac cisternis omne cænum, sordes & spurcitiem, in quibus maximè hæret & delitescit tinctura pestis, extra urbem removeri ac deportari. Si stabula porcorum, quorum virulentus fœtor ipsa pestilentia pernicioſior est, è publicis plateis demoliantur. Si laniis ac tonsoribus severè interdicatur, ne mactatorum animantium aut venæ sectione detractum cruorem venenatum, & salsamentariis, ne suos putridos garos & putrefactorum piscium salsugines fœtentes, ante ædes suas (ut hîc moris est) profundant, si deniq; curaverit, ne publica balnea, in quæ promiscuè & bene habentes & infecti simul ingrediuntur, haberi permittantur; Si caveatur, ne peregrini ex infectis locis intra civitatem hospitio excipiantur, aut contagio infectæ merces importentur. Si ædes ex quibus plura funera elata sunt ad minimum ad duos menses studiosè occludantur, & inhabitantibus injungatur, ut interim purificationi ædium & aeris contagioni per fumigationes & flammam studeant, si Magistratus publicam aliquam habitationem in aliquo templo extra urbem cum lectis aliisquè rebus necessariis & oportunis administris exstruat & adornet sumptibus publicis à civibus exactis, in quas misera plebecula pauperiores famuli & ancillæ deduci & sustentari queant, si corpore mortuorum peste, non intra mœnia sed ante portas urbis in honesto cæmiterio sepeliantur, & in terram altius defodiantur; cum autem nulla re citiùs commodiusq; infectus pubicus aer purificari & seminaria pestis in eo extingui possint, quàm flammâ aut

Publici aeris purificatio quomodo instituenda.

fumo: Procurare debet Magistratus, ut vesperi post occasum solis, & manè ante ortum per compita & publicas plateas fumi suffitusq; ex congerie fruticum juniperi, & flamma luculenta, ex doliis picatis incensis excitetur, ea enim ratione, *nimirum flammæ & fumi beneficio, olim divinus Hipp. pestilentem luem ex Æthyopia in Græciam delatam, citissimè extinxit & Athenas à contagione liberavit:* Non dissimili quoq; modo Patrum nostrorum memoria Civitas Tornacensis à peste, fumo ex bellicis tormentis sive globulis pul. nitrato explosis ante Solis ortū & post occasum excitato brevi liberata est. Hæc Magistratus prudentia etsi non careat calumniis & detrectationibus, tamen plenissima est officiis pietatis & humanitatis & DEO plurimum placet.

Aer privatus ac domesticus quibus rebus corrigendus ac purificandus.

Aer privatorum quomodo corrigendus,

Nihil magis alterat aëris quamlibet constitutionem, quàm gelu sive excellens ac constringens frigus, ignis sive flamma, & fumi sive vapores odorati; ut igitur de publico aëre est dictum; ita omnium primum ex aëre domestico & privatis domiciliis removenda erunt omnia putrescentia, & cœnum & sordes, quæ aërem corrumpere & suo vapore inficere queant, summaq; cura munditiei est studendum; cum autem, ut dictum est, flamma ignisq; luculentus aerem exsiccando purificet & pestis seminaria extinguat, ut Athenienſium testatur historia, qui moniti ab *Hipp.* integram sylvam propè urbem incenderunt, & à lue pestilenti statim sunt liberati: Plurimum itaq; ad præservationem & aeris infectionem confert, ubi & cui facere licuerit in ædibus & conclavibus cubiculisq; perennis focus

cus ignisq; luculentus, Autumno potissimùm & Hyeme ex lignis solidis, ut sunt robur, Juniperus, picea, fagus & *fraxinus* (quæ tantam habet ἀντιπάθειαν cum venenis, ut nec serpentes nec virulenta animantia ejus umbram ferre possint) incendatur ac foveatur; cavendum autem, *ne putrida ligna in ignem conjiciantur quibus nihil est pestilentius.* Ad domestici quoq; aeris purificationem plurimùm proderit ventos (qui non sunt aliud quàm commotiones aeris) australes, pluviosos & à regione infectâ flantes, item nebulas matutinas & vespertinas occlusis fenestris & januis excludere, & flantẽ Aquilonem, si serenus est, in perflanda cõclavia fenestris patefactis admittere. Præcavẽdũ quoq; quàm fieri potest diligentissimè in præservatione aeris domestici à contagione, ne aliquis peste infectus, aut cum infecto commercium continuum habens, ædes non infectas ingrediatur, *Persæpe enim contingit, ut per colloquiũ & familiaritatem tertiæ personæ mediæ inter infectum & non infectum aliquis vel ex halitu vel fomite inficiatur*, pro analogia seminariorum pestis ad diversa corpora. Et sanè non tantum per personam tertiam pestilentem, contagionem in salubres ædes propagari posse, verum etiam per feles & canes in infectorum lectulis cubantes pestem in vicinas ædes esse introductam, disertè testatur *Marsilius Ficinus*, Etiamsi ipsis canibus catisq; non fuerit noxia contagio; ideoq; arcendi sunt ex ædibus alieni canes & cati. Id quoq; in aeris domestici commutatione observandum est, qui diutius aliquo in infecto loco sine noxa commorati sunt, minimè consultum esse, ut deinde subitò locum mutent, & se in salubriorem aerem conferant, si enim seminaria pestis ij ante conceperint domi, nec eis fuêre noxia, ubi in alienum aerem pervenerint, citius ac acrius

incendentur; sicuti etiam manifestum est ex salubriore aere in infectum temerè se ingerentes, citius corripi & interire, quàm qui contagioso aeri sunt assuefacti. Quia verò non omnibus nec ubiq; semper datur copia luculenti ignis & flammæ, tum ex usu erit, quotidiè manè ac vesperi fumis odoratis & suffitibus domesticum aerem lustrare & purificare. Quibus autem rebus odoratis in ædibus & omnibus conclavibus fumi excitari debeant, nunc præcipuas tantum enumerabo, videlicet furtulis juniperi accensis, ac baccis juniperi carbonibus incensis impositis, *comis floribusq; absynthij & lavend. rutæ, mentæ, spicæ Celticæ, basiliconis, majoran. melissæ & rad. angel.* accensis vel in cacabum igni impositis; præstantiora iis sunt *Myrrha, thus & succinum* in ignitos carbones injecta, opulentiores verò possunt aerem purificare suffitibus pretiosioribus, quibus & spiritus animales ac vitales suavi odore recreantur, quæ ex myropoliis facile comparari possunt, ex quibus præstantissimus est pulvis subsequens.

Suffitus. ℞ *Benzoi, styrac. calamit. ana* ℥j. *Charioph. Fl. Lavand. an.* ℥ß. *Gran. Juniperi* ℥v. *Succ. albi* ℥ iij. *Ros. rub. fol. mentæ ana* ℥j. conscindantur crassiusculè ac contanduntur, commisceantur, fiatq; pulvis grossus cujus tanta quantas, quæ tribus digitis comprehendi potest, aut ignitis carbonibus in cubiculis & conclavibus imponatur, eorumq; fumo cubilia compleantur, in quo fumo & vestes & indusia tingi possunt, Nam spirant suavissimum odorem, aut idem pulvis ejusdem Quantitatis potest inspergi in cacabos fornacum. Alio modo ita præparari potest.

℞ *Ligni Aloes, lig. cupressi ana* ℥ß. *Myrrhæ, Caryophyllorum, Styrac. calam. Benzoi ana* ℥ß. *crass. contusa misceantur,*

quo

quò ut antea dictum est suffitus odoratus excitetur, quin & supellectilia, stragulæ vestesq; & quæcunq; alia corpora porosa si sequenti liquore odoratissimo conspergantur, ea ab omni contagione ac labe pestilentiæ conservat, qui hoc modo præparabitur.

℞ *Spe. Diambræ ʒj. ſ. Cariophy. Nucis Moſcha. Cinamo. ana ʒj. Campho. gran. v. Benzoi Styra. cala. ana ʒj. Moſchi gran. vj. Hæc omnia craſſiuſculè contuſa in vitream cucurbitam reponantur, eisdemq; affundantur ol. Angel. ℈j. ol. exgr Juniperi gutt. v. Aq. Roſ. ℔j. ſ. Aq. Lavand. ℔j. Aq. juniperi, vel ejus loco vini Rhena. Opti. ʒ iiij. Aq. mentæ odoratæ ʒ iij. Aceti Roſa. ʒ ij. commiſc. & probe obturata in aquam tepidam ſive balneum Mariæ* imponantur & per triduum macerentur, orificio vitri probè obturato, deinde ebulliant per semihoram & ad usum conserventur. Hoc liquore tempore pestis non tantum vestes & alia supellectilia utiliter conspergi queunt, verùm etiam eo, in publicũ progredientes, manus, nares, regionem cordis & arterias carpi nungere possunt. Excludit enim omnem aëris venenatam qualitatem; Præstantissimus est hic liquor si spongiola exceptus, & in sphærulam vel argenteam, vel ex ligno juniperi fabricatam pluribus foraminibus perviam includatur, manibusq; gestetur & odorandi causa naribus subinde admoveatur; Plurimum confert tempore pestis, cordis quoq; omnium maximè rationem habere. Est enim cor vitę fons ac domicilium spirituum vitalium, & cordi potissimum adversatur contagio pestilens. Itaq; subnide cor roborandum & spiritus vitales reficiendi. Sacculus ex syndone paratus in quo sequentia sunt insuta, regioni cordis applicatus &

diu

Sacculus pro corde.

die noctuq; gestatus conservat & corroborat cor & spiritus vitales; Res autem sacculo imponendæ hæ sunt. ℞ *Ros. rub. redolentium, fol. Melissæ, ana M. I. Pul. Sandali rubri, ligni aloës, Cinamo, Benzoi ana ʒ j. Zedoar. Cariophyl. an. ʒ ß. Cort. arantiorum se. citri. ana ℈ j. commisc.* & sacculo insuantur, qui quotidie vel præscriptâ aquâ odoratâ vel vino generoso irrorari commodè poterit.

Quid privatim agendum antequam quis in Publicum aërem prodeat.

Quid prodeuntibus in publicũ agendum.

Satius sanè esset tempore pestis in domicilio & domestico aëre nondum infecto se continere & à conversatione hominum & ab omni congregatione abstinere, sed quia tum propter privata cujuslibet negotia atq; officia, & propter assuetudinem societatis paucissimi se cõtinere in domestico aëre possunt, idcircò qui in publicũ prodire vult, ita se gerere debet; initio antequam è lecto surgat, omnes artus leniter volâ manuum confricabit, Deinde ut pori cutis præmuniantur à receptione seminariorum pestis, si fieri possit universam cutim, aut saltem emunctoria & cordis regionem illinat aut confricet paucis guttis præscripti liquoris odorati aut commasticet allium aut rad. Angel. & inungat salivâ aut aquâ tantũ rosarũ, cui pauxillum vini sit admixtum, & in qua *rad. Tormentill.* & caryoph. & nonnihil *Theriac. Andro.* sunt macerata. Deinde surgat è lecto, sed non nisi post horam à solis ortu seq; induat, quàm fieri potest vestibus mundissimis, indusiis prius odorato fumo, ut diximus, imbutis, tandem caput pectine leniter confricet, & aquâ purâ & non fætida, in qua per

noctem

noctem sunt macerata vel cort. malorum Arantiarum vel *fl Lavend. vel majoran. vel ruta* in linteolum colligata, manus & faciem abluat, dentes perpurget, & os ipsum aquâ cui nonnihil aceti veni *vel Rosa.* sit admixtum, colluat, naribus autem momentum *ol. nucis mosch.* illinat, aut saltem aq. odoratæ paulò antè descriptæ guttam, & arterias manuum potissimum, ut diximus, inungat. Et ita in verâ fiduciâ & ardenti precatione se suosq; Deo commendet, & assumpto aliquo salutari antidoto in publicum prodeat, negociaq; sua & officia in timore Domini exequatur.

Quibus antidotis seu remediis Pesti adversantibus singulis diebus quilibet uti debeat.

Remediorum pestilentis veneni & seminariorum ejus in aëre hærentium, quæ Græcis *antidota* nominantur, tria sunt genera. Alia enim in ore manduntur ac tenentur tantum, alia in manibus gestantur odorandi causa, alia intra corpus assumuntur; Quæ in ore masticantur ac retinentur remedia magis comprobata hæc sunt: Ex simplicibus quidem *Rad. angel. Zedoa. Dauci cretici Nasturti. Pimpinel. Cardopat.* Quæ radices si per noctem in aceto vini macerentur præstantiores fient, item his quoq; præstantius habetur nobile scordion sive recens sive ore masticatum & retentum, *Deinde gr. juniperi, Baccæ Lauri & semina citri.* Ex compos. sunt præstantissimi pastilli in ore retinendi, qui ex his conficiuntur.

Antidota per vices usurpanda. 1. Ore mandenda.

Scordion.

℞ *Sp. Diamos. dulc. Diambræ ana ʒ1. Zedoa. Angel. Dauci Creti. ana ʒij. Caryoph. Styra. Cala. ana ʒij. Sacch. candi ʒij. cum q. s. Theriac. Andro.* diutissimè conterantur, fiat massa duriuscula, ex qua formentur exigui pastilli, qui in umbra exiccentur, & necessitate exigente unus ex hisce

Trochisci sublinguales.

sub linguâ retineatur, donec resolvatur, qui tandem deglutiri potest. Excludunt enim seminaria pestis & purificant aërem per inspirationem attractum, & cerebrum, spiritusq; animales, mirificè corroborãt; Utilissimè quoq; dentes & gingivæ inungi possunt pauxillo. Ther. Andro. aut antidoto nostro de scordio, cujus præscriptionem in Antidotis intra corpus sumendis tradituri sumus.

2. Manibus gestanda.

Antidotorum, quæ tempore pestis ad corrigendum aërem infectum, corroborandum cor atq; cerebrum resciendosq; spiritus, odorandi gratia in manibus gestari soleant, exquisitiora hæc sunt.

Ex rebus quidem simplicibus, Mala Arantior. Cidonia. Absinth. ruta, Majoran. Mentha, Rad. Angel. Valeria. Campho. Casto. & styrax calam: Ex compositis Ruta viridis cum pul. Caryoph. contusa & pauxillo aceto conspersa, ac in syndone aut tenui linteolo colligata, est præstans odorativum remedium. Præstantior autem est sequens aqua spongiola excepta & insphærulam inclusa. ℞. *Aq. Ros. Lavend. Aceti rosa. ana cochlea. vj.* commisc. in vitro. quibus parum pul. caryoph. admisceri potest, aut parum camphoræ. Eadem ratione & spongiola liquore odorato paulò ante ad conspergendas vestes præscripto, imbuta & odorandi causa in sphærula inclusa manibus gestari potest, aut manu gestetur sphærula, quam pomum Ambræ vocitant, quæ hac ratione in officinis paratur.

Aceti ruta præsertim autem millefolij præstantius.

Pomum ambra.

℞ *Ladani rec. & odorati ʒ ij. Ros. rub. Sandali Citrini ana ʒ j. styra. cala. Benzoi ana ϑ ij. cinamo. oderatiss. Macis. Ligni Aloës, Caryoph. ana ϑ j. Mirrhæ ϑ s.* pulveri sata in præcalido mortario & pistillo contundantur, subinde admiscendo mucag. liquidam *ex aq. rosa & Tragacantho* macerato

rato, factam, donec in massam tractabilem redigatur. Ex qua massa sphærulæ conformentur & inungantur *pauxill. ol. Angel aut oleo Caryoph.* & involvatur Bombaci seu lanæ Xylinæ, quæ prius paucis granis, pro cujuslibet arbitrio, excrementi Zibetti felis aut Moschi illita sit & Sphærulis vel argenteis vel ligneis includantur, quarum odor aërem contagiosum mirum in modum emendat & cor cerebrumq; corroborat. Nullæ siquidem res spiritus vitales & animales magis reficiunt, ac refocillant, quàm suaves & fragrantes odores; in olfaciendis tamen rebus odoratis, ratio habenda est temperamenti cerebri, ut quilibet eos eligat odores, quibus omnium maximè delectatur, calidis enim & siccis cerebris frigidarum rerum odores; frigidis verò & humidis calidarum magis conveniunt, quibus & natura magis delectatur.

3. Intra corpus assumenda.

Antidota porrò pro depulsione contagionis intra corpus assumenda & ab infectione præservantia omnia debent esse talia, quæ totâ sua substantiâ sive forma substantiali adversantur pestilenti veneno, & quæ simul spiritus vitales & animales reficere atq; humores à putrefactione præservare & interna viscera principalia corroborare queãt. In his autem usurpandis habendus est delectus pro diversitate temperamentorum corporis, aliis enim alia magis conveniunt & salubriora sunt. Cavendum deinde diligenter ne talia sint remedia, quæ suis primis qualitatibus extensis, congenitam corporis temperiem destruant, neve impensius vel calefaciant vel refrigerent, exiccentquè. Tum enim non levem naturæ noxam inferunt, magisq; destruunt, quàm præservant. Ex antidotis autem intra corpus assumendis simplicia quidem probatissima hæc sunt: *Pul. terræ Lemniæ, boli, Armæ.* Si hæc vera

Cautio in usurpatione antidotorũ.

Simplicia.

vera & non adulterata in myropoliis haberi possunt, cornu cervi, qui in Autumno captus est, ramenta, *pul. nobilis scordij, pul. Cardui Benedicti, pul. torment. pul. se. citri mali. pul. corall. praparat. & sal. absynth. vel scordij, quod ex lixivio à cineribus eorum in vino maceratis coquitur.* Laudatissimum quoq; est sal urinæ (quod ex urina hominis coquitur). Hæc præscripta antidota intra corpus assumpta, non tantum à contagio præservant validissimè, sed liberant infectum etiam efficacissimè: Assumuntur autem pro ætatis ratione & temperamenti pulveres quidem pondere ʒ j. aut ʒ. Salia vero pondere ʒ ʒ. aut ℈ j. cum hausțulo vini aut aquæ Scordij, aut aq. rosa. aut aceto rosaceo.

Sic Sal Citium & Millef olij præstantia.

Composita.

Composita autem nobiliora ab infectione præservantia, quæ partim in myropoliis parata servantur, partim à nobis experientia comprobata, & hactenus in secretis habita hæc ferè sunt, Pill. communes pestilentiales quarum ʒ j. semel ad minimum per septimanam deglutitæ humores à putrefactione tuentur, Ventriculum & Epar corroborant, & spiritus vitales reficiunt, alviq; obstructionem prohibent. Earum compositio talis est.

Pill. Pestilentiales.

℞ *Aloës puriss. croci, Myrrhæ ana* ʒ ij. *contundantur* cum vino generoso *vel Syr. citri acidi*, fiat massa, ex qua formentur pillulæ exiguæ & ante cænam assumantur. Egregiè quoq; præservat semel vel bis in septimana ʒ j. *Conf. Mithrid. in hausțulo aq. scordij* resoluta & exhausta, confectio quoq; Liberantis in rotulas confecta, quæ in myropoliis prostat, Nobilis. est antidotum, si ejus rotulæ ij. aut iij. jejuno ventric. devorentur, quæ quia sunt suaviores gustu & gravidis & infantibus & cujusque ætatis hominibus, tutò exhiberi possunt, Cor enim & spiritus vitales corroborant, & singularem habent ἀντιπάθειαν contrà seminaria

pestis

pestis, præterea pueris & gravidis infantibusq; quia non ferunt validiora remedia, exhiberi possunt rotulę ex albissimo saccharo, in aqua scordij soluto ℔ 5. cui admixta sint, *pulvis Coral. rub.* ʒ ii. *& ol. Angel.* ℈ j. *Simili ratione & Antidotum*, sive electuarium Angelicum à nobis confectum, cujus si vel avellanæ nucis quantitas aut devoretur aut cum hausţulo aquæ cardui Benedicti ebibatur, eo die tutum reddet à contagione. Ejus compositio ita habet. *Antidotus Angelica Ioelis.*

℞ *rad. Angel. odorat.* ʒ 5. *Rad. Cardopat: Dauci cretici Diptami albi ana* ʒ ii. *Zedoar. myrrhæ ana* ʒ 15. *fol. cardui Benedicti* ʒ iij. *fol. rutæ, veron: ana* ʒ i. *cornu cervi usti præparati* ʒ iij. *camphoræ* ℈ ij. omnibus tenuissimè pulverisatis admisceantur *confect. Mithridati optimi* ʒ ii. *Syr. è succo cardui Benedicti q. s.* Diu multumq; contundantur in mortario & rediganţur in massam mollem sive electuarij. Nobilissimi quoq; sunt morsuli nostri contra pestem, si una eorum manè comedatur. Quorum compositio sic se habet. *Morsuli antipest. Ioelis.*

℞ *Specier. Diantis* ʒ j. *pul. scordij* ʒ 5. *Zedoa.* ʒ ij. *cornu cervi usti & cum succo scordij præparati, corall. rub. præpatat. ana* ʒ 15. *sem. citri excorticati & incisi* ʒ ii. *Saccha. albi in aq. cardui Benedicti resoluti* ℔ i. *quibus inter commiscendum admisc. Ol. Angel.* ℈ j. *ol. cinam. gutt. v.* Ex quibus formentur morsuli Rhomboides ponderę ʒ ii.

Aq. Vitæ contra pestem.

Efficacissima quoq; est Aq. vitæ contra pestem, quæ & contagium arcet, & Spiritus vitales, omniaq; viscera corroborat, cujus parandi ratio hæc est.

℞ Zedoar. Angel. Pimpin. ana ʒ ij. Valerianæ, Ostrutij ana ʒ j. Dauci Cretici ʒ j. 5. Croci ʒ 5. Scordij. Veron. Card. Bened. ana M. S. Rosa. rub. p. 1. Radices contundantur, & herbæ minutim concidantur. Quibus admisc. ʒ iiij. Sacchari candil puverisati, & in vitrum angusti orificij imponan-

ponantur, eisq; affundantur ℔ v. Aq. Juniperi: & simul per octiduum macerentur in loco tepido probè obturata. Deinde vitrum in balneum Mariæ sive Ahenum aq. plenum imponatur & simul per semihoram ebullire sinatur, ac per se refrigerata percolentur, & in vitrea cucurbita probè clausa conserventur. In liquorem impositò prius nodulo ex Syndone. rub. cui illigatæ sint Sp. Diamb. Diamoseh. dulc. Elect. Liberant. an. ʒj. Garyoph. Cinam. an. ʒs. cujus aq. vitæ contra pestem unum cochleare ebibitum mane, eo die immunem reddit à pestilenti contagione. Hæc quidem enumerata antidota omnia, ut antea de simplicibus diximus & præservare & ab infectione liberare possunt, si justa mensura & tempestivè exhibeantur.

Nota. Quibus in præservatione non semper uno, sed alternatim hodie illo, cras alio uti decet, ne videlicet per unius continuum usum, id in naturæ familiaritatem tanquam alimentum convertatur. Porrò hæc omnia præscripta remedia, virtute & admiranda efficacia superat cœlestis illa confectio miseris mortalibus divinitus tradita, quam ab ejus inventore Theriacam Andromachi vocant, si ejus ʒj. bis in septimana cum vino aut Scordij aq. assumatur, Gale-

Theriaca. nus inter pestem & Theriacam venustam ponit similitudinem, inquiens, pestem quidem Draconem esse cum corpore aëreo suum virus & venenum contra homines spirantem; Theriacam autem purgatorium esse quoddam, venenum subinde expurgans & Draconem domans. Cur autem ego Theriacam inter Antidota præservantia

Cur Theriaca inter præservantia non sit posita. non posuerim, nec ea quenquam, ut intra corpus pro præservatione utatur velim, ratio hæc est, quam veram esse longâ observatione & experientia didici. Quicunq; efficacissimis Antidotis, qualis est Theriaca in præservatione

utun-

utuntur, ad eam natura adsuescit, eiq; tanquam familiare redditur remedium, ac crebra consuetudine efficacia diminuitur, ideo illos deinceps, Si peste infici contingat, venenum pestis iisdem remediis, quibus ante usi sunt, discutere & propellere minimè posse, sed naturam à virulentia pestis vinci, & succumbere necessum est. Quare præstantissima remedia, quæ omnium maximè præservant, reservari debent, & inter Alexipharmaca (quæ vincunt venenum) retinenda, donec necessitas eis uti compellat: & hæc est ratio, cur Theriaca ad præcautionem neminem uti velim ac suadeam, nisi forsan quis ejus fabæ Quantitatem in ore tenere velit, ubi cum infecto ei conversandum sit.

Quibus Medicamentis se à contagione præservare debent homines tenuioris fortunæ & domestica familia?

Antipestilentia tolerabilioris pretij.

Paterfamilias non suæ familiæ permittat quenquam jejunum in publicum prodire, sed imperet ut antequam prodeat, buccellam tosti panis aut in aceto vini maceratam, aut Butyro oblitam, & pul: vel scordij vel Pimpin. vel Rutæ conspersam edat, aut 9. gr. plus minus Juniperi comedat, Aut iij. baccas lauri, aut nucleum allij devoret, aut sequētis Mithridatij domestici à veteribus celebrati, quod quilibet paterfamilias facilè conficere & comparare potest, semijuglandis quantitatem absumat, cujus ratio conficiendi hæc est.

Nihil præsentius pamperioribus Extracto Juniperino

℞ *Ficuum ping.* ℥iiij. *Nucle: Jugland. à pelliculis purgator* ℥ij. *Rutæ virid.* ℥j. *Scordij. Card. Bened. ana* ℥ij. *concidantur* crassiusculè, & cum pauxillo aceti vini irrorentur, & in formam *Elect.* reducantur. Uti quoq; cum magno præ-

Theriaca Saxonica.

præsidio jejuni poterunt uno aut duobus cochlear. sequentis aceti medicati.

Acetum antipestilentiale.

℞ *Theriac. Androm. ℥j. pul. Bacc. lauri Tormentill. Aristol. rot. an. ℥ß. Castor. Angel. ana ℥ij. Scordij M. ß. Rutæ p. 1. contundantur & conscindantur & per plures dies in vitro macerentur affusis ℔ iiij. Aceti vini;* Pauperiores qui ea habere non possunt, edant singulis diebus vel frustulum *rad. Angel.*, aut devorent folia *quinq; Rutæ, cum nucleis jugland. & ficu modico Sale conspersis.*

Peste infectos adituri Quibus Remediis sese munire debeant?

Peste infectos congressurus quid agendum?

Pestilens contagio & seminaria ejus non tantum ex infecto aëre concipiuntur, verùm etiam, & quidem citissimè ab infectorum halitu & venenata respiratione hauriuntur ab iis, qui ejusdem sunt naturæ ac temperamenti cum infectis. Ad eos enim protinus transilit pestis & tenaciter adhæret, & quanquam præstaret à conversatione & colloquio peste infectorum abstinere, tamen cum id sine violatione suæ conscientiæ plurimis intermittere non liceat, præsertim iis, qui ratione officij sui ægrotos invisere coguntur, ut sunt verbi divini ministri, ordinarij in rebuspublicis Medici & Cheirurgi; aliiq; coguntur infectos accedere ratione φιλοστοργίας & sanguinitatis conjunctione, quæ est inter conjuges, parentes, liberos, fratres & sorores. Exigit quoq; in genere ab omnibus Christiana Pietas & humanitas ægrotantium visitationem, ut nequeant amicos vicinos & proximos in extremo periculo constitutos deserere, juxta dictum filij Dei: *Quod vobis fieri non*

non vultis, id nec proximo faciatis, Et quid quæso crudelius & ab omni humanitate & pietate magis alienũ, quàm tempore peſtis exuere φύσεως, & parẽtes deſerere ſuos liberos, aut liberos ſuos parentes, ut in ſuperioris Germaniæ partibus contingere vidimus. Non decet certè hominẽ Chriſtianæ profeſſionis mortem ita expaveſcere, ut Chriſtianam charitatem propter pericula deponat, & vel ſuæ fidei commiſſos, aut vinculo amicitiæ devinctos, operâ ſuâ & conſolatione omni negligat. Spe itaq; & certiſſima fiducia in filij Dei protectione conjecta, omnes qui in officio adminiſtratorio conſtituti ſunt, aut ſanguinis conjunctione inter ſe devincti, audacter miſeros ægros, aut peſte infectos accedant, eosq; amanter conſolentur, & quantum in ipſis eſt, ſuâ operâ & induſtriâ juvent, certoq; ſtatuant, Deo ipſos curæ eſſe, ab ipſiusq; Angelis protegi, juxta illud: *Angelis ſuis mandavit de te &c.* Statuantq; ſi in ſuâ vocatione vel vivant, vel moriantur ipſos eſſe Domini, & Dominos mortis. Et quidem quæſo, cur quis mortem in peſte ita expaveſcat, quæ per Chriſti mortem ſanctificata eſt, & cum omnibus ſemel paulò poſt moriendum ſit, quis non mallet peſte magis mori, quæ nec diu nec magnis cruciatibus ægrotantes affligit, ſed ut plurimum intra quartum diem finem imponit? Et mens ac ratio in peſte rariſſimè labefactatur & plerumq; homines magis intenti ſunt pietati, quàm in aliis morbis ullis, in quibus per plures menſes cum morte conflictandum eſt. *Sed horribile eſt tot millia hominum ſimul interire?* At quis non mallet cum tanto ſanctarum animarum comitatu in regnum alienum & rationi ignotum commigrare, quàm ſolum? Hæc etſi παράδοξα videntur, tamen & conſolationis plurimum habent, & meditatione digna ſunt tempore peſtis. Non tamen

Piæ cogitationes de morte contemnenda.

men vellem quenquam temerè & sine ulla necessitate & præter officij rationem, (si modò apud ægrotantem propinquiores adsint,) seipsum in periculum conjicere, & sua sponte se ingerere: Qui autem ex officio & conjunctione sanguinitatis infectos adire coguntur, iis suadeo, ut remediis & antidotis paulo ante enumeratis, cum iis quæ in ore masticanda tenendaquè, tum iis quæ odorandi causa, manibus gestanda; tum etiam quæ intra corpus assumenda præscripsimus, utantur sedulò: Inter reliqua præstantiora sunt hæc; Si narium foramina *pauxillo Theriacæ Androm:* oblinantur, aut ejusdem fabæ magnitudinem in ore retineant, aut pastillos paulò ante commemoratos. Intra corpus verò aut ex superioribus antidotis aut sequentis *Elect. q. nucis avellanæ* devorent.

Electuariũ. ℞ *Bac. Juniperi, terræ Lemniæ veræ an. ʒ. ij.* pulverisata cum Syrupo citri, excipiantur & in formam Elect. redigantur. Aut frustulum *Zedoar. cum pauxillo Glyceriz. & uvis Passis* mandant & deglutiant. Utilissimum quoquè esset, si ea commoditas haberi posset, ut inter ægrotantem & astantes luculenta flamma, aut saltem plures cereæ candelæ accenderentur: Talis enim flamma absumit seminaria pestis, & corrigit respirationem pestilentem; id si fieri nequeat, suffitus tamen & fumigationis odoratæ ex rebus supra recitatis inter infectum & colloquentes excitentur. Præstat autem colloqui procul & per justam distantiam cum infecto, minus enim ab ejus exhalatione & respiratione afficitur. Hæc de aëris infecti purificatione & remediorũ præservantium usurpatione dixisse, satis esto, jam quid circa cibum & potum aliasq; causas naturam nostram conservantes & alterantes sit observandum tempore pestis, brevissimè commemorabimus.

Circa

Circa cibum & potum tempore pestis Quæ sint observanda.

Sine cibo potuq; salubritas corporis diu consistere non potest, & horum abusu, non tantum corrupti & putrefacti humores generantur, qui pestis sunt receptacula, verùm etiam cum cibo ac potu tanquam fomitibus sæpe pestilens contagio devoratur & hauritur. Studendum itaq; ut quilibet tempore pestis vescatur alimentis concoctu facilibus & purum sanguinem generantibus, & ex quibus puri generantur Spiritus. Vitentur studiosè omnia quæ facilè putrescunt in ventriculo, vel difficulter concoquuntur. Vitanda *quoq; sunt alimenta in infectis ædibus pendentia præsertim recentia*, similiter & fructus atq; olera in infecto aëre generata aut exposita. In genere autem esculentorum ac potulentorum ea, *quæ consuetudine sunt recepta, etsi paulò sint deteriora, non tamen subitò sunt mutanda teste Hippo. 2. Aph. 50.* Cum nulla repentina mutatio careat noxa. Etsi autem frugalis temperantia omni tempore & maximè tempore pestilenti meritò laudanda est, tum in hac parte consuetudini est aliquid tribuendum propter dictam causam. Cavendum tamen sedulò ne corpus nostrum tempore pestis gravetur, crapulâ, ebrietate & ingluvie, nevè corpus varietate multoq; cibo refarciatur. Simili ratione caveatur ne inedia ac fame diuturnâ natura nostra fatigetur. Cibi verò ex carnibus & piscibus tempore potissimum autumnali concoquantur & condiantur *Omphacijs* sive immaturis uvis, quæ peculiari sua proprietate omni venenatæ Qualitati ac putrefactioni adversantur. Condiantur & croco & cinamomo, quæ spiritus vitales reficiunt, & viscera corroborant. Alia

Alimentorũ delectus instituendus.

Consuetatutiùs usurpanda.

aromata calefacientia vitare est melius; potus sit cerevisia clara & defœcata aut vinum optimum moderatè sumptum: circa ciborum præparationem id quoq; observatu utile est, aquam, in qua alimenta elixantur, nisi scaturiens, semper esse prius decoquendam & despumandam. Domestica enim aqua & præsertim stagnans facilimè seminaria pestis ex ambiente aëre concipit, condimenta mensæ utilia sunt Limones, Capparis, Acetum, Radicula, Sinapi & Vinum cum Sacch & Zinzibere temperatum. Sed quæ & qualia debeant esse in genere alimenta, illud cujusq; vitæ conditio ac consuetudo docet.

Cautio in assumenda aqua pro ciborum præparatione.

Circa somnum & Vigilias tempore pestis Quæ sint observanda.

Somnus Vigilia.

Somnus & vigilia sunt quoq; ex iis rebus, quæ sanitatem nostram ac naturam conservant ac tuentur, si moderatè debiteq; usurpentur. Rectè enim dixit *Hippocrates 2. Aphor. 3. Somnus & vigilia, utraq; si modum excesserint, malum*, Longæ enim vigiliæ extingunt calorem nativum & labefactant spiritus animales. Somni similiter longi generant in venis ac potissimum in cerebro plurimos pituitosos humores putrefactioni obnoxios. Est itaq; & in somno & in vigilia modus servandus & eis alternatim utendum. Naturæ convenientissimus est somnus placidus septem vel ad summum octo horarum.

Somnus diurnus.

Somnus diurnus omnibus est noxius præterquam calidum & siccum cerebrum habentibus & qui nocturna vigilia fatigati sunt.

Circa

Circa exercitium sive motum quietemq; corporis quæ sint tempore pestis observanda.

Quiete moderata reficiuntur vires, & ad consuetas actiones vegetiora redduntur corpora, otio autem ignavia ac desidia & corporis & animi vires enervantur, & universum corpus crassis & vitiosis humoribus completur. Quemadmodum enim aqua stagnans non commota facilè putrescit, Ita sanguinea massa nisi per exercitia corporis subinde commoveatur, putrescit facillimè & contagium admittit; quies itaq; & labores motusq; corporis moderatè alternatim ac tempestivè adhibenda sunt. *Nam quod caret alterna requie &c.* *Motus Quies.*

Vitanda sunt tempore pestis laboriosa corporis exercitia, per quæ pori cutis aperiuntur, & sudores profunduntur, ut choreæ, saltationes. Et cum in Venere vehementior fiat corporis commotio, nihil tempore pestis est pernicioſius immoderata ac difficili Venere per quam vires prosternuntur, cor affligitur, & spiritus vitales diminuuntur, in laboribus quoq; corporis consuetudini & vitæ conditioni aliquid est tribuendum. *Nihil Venere pernitiosius.*

In evacuatione superfluitatum & retentione utilium tempore pestis quæ sint observanda.

Non aliter ac alimentorum assumptorum, Retentio Alteratio & Assimilatio in Substantiam, partim necessaria est ad naturæ conservationem; Ita sanè ad sanitatis tutelam humorum excrementitiorum qui subinde in corpore colliguntur evacuatio summè est necessaria. Sæpe autem impeditur aut debilitatur facultas expultrix in Natura ut excernere superflua nequeat. Id ubi contingat diutur- *Excernenda*

niorem excrementorum retentionem, semper comitatur putrefactio; Putrefactionis comites sunt Febres & aliæ ægritudines, quæ occasionem præbent infectioni pestilenti. Ut igitur excrementorum corporis præcipuè autem ventriculi, alvi, vesicæ & cerebri, quotidie vel natura vel arte debita fiat evacuatio, & superfluorum humorum subtractio, omni quidem tempore, sed maximè vigente Peste, studiosè laborandum est; Ventriculus itaq; si pituitosâ colluvie sit repletus, per vomitum statim evacuandus erit, assumto prius haustulo vini, in quo *rad. vel cort.* potius *rad. Jugland.* per noctem fuêre maceratæ, & sequenti die coctæ. Excitat enim hic haustus facilem vomitum. Quibus autem alvus est suppressa, emolliatur aut subducatur assumta ʒ *j. pill. communium* aut comedantur ʒ *x. pulp. cass. rec. extr.* aut moveatur aluus leni aliquo Clystere, ex consilio periti medici, aut inseratur recto intestino Glans sive suppositorium ex Sapone confectum. Si verò vesica sit obstructa, & urina debito modo non procedat, *Guttæ novem* aut paulò plures *Ol. vitr. cum ij. cochl. vini* exhauriantur. Meatus enim urinæ probè aperiunt, & ventrem roborant, appetentiamq; excitant, si verò cerebrum coryza laboret, & cribriforme os circa radicem nasi sit occlusum, pauxillum *fuc. Betæ* defecati per nares sursum attrahatur, aut *radicula Gentianæ* instar calami adaptata naribus inseratur; si autem sanguis in corpore redundet, corpus plethoricum efficiat, ut ex rubedine totius corporis & faciei facilè deprehendi potest, venæ sectione sanguinem diminuere convenit, secta nimirum vena vel Epatica dextri lateris, vel vena Mediana vocata, sinistri humeri, At ubi rddundant in corpore vitiosi humores omnes & corpus fuerit κακοχύμικον, aut unus tanquam humorum redun-

Vomitus.

Ol. Vitrioli.

Radix gentianæ in Coryza.

redundet per pharmaca convenientia subduci & evacuari ex prudentis Medici consilio debet, Medicis autem destituti, primum studeant dignoscere redundantis humoris speciem, ac deinde sequentibus remediis subtrahant. Corpora κακοχύμικα, id est, in quibus humores omnes ex æquo vitiosi sunt, dignoscuntur ex fœdo & faciei & cutis colore, *ea sæpe sunt evacuanda sequenti hausto.*

℞ *Agar. Troch. Rhab. fol. sennæ an. ʒj. seminis Anisi ℈j. craſſ. contusa ligentur in Sindone* & fiat nodulus laxus, qui in cantharum aut poculum ponatur eiq; adfundantur ℥. 4. *aq. Card. Bened.* & simul per noctem macerentur. Manè poculum in aquam ferventem collocetur & simul aliquantisper ebulliant, deinde nodulo fortiter expresso tinctus liquor tepidus 9. horis ante prandium ebibatur. Huic liquori in robustis corporibus admisceri poterit *Elect. Diacathol. ʒ ij.* Si corpus est pituitosum, id quod ex albedine faciei & cutis, atq; ex continua humiditate oris ac linguæ, & sapore per linguam vel insipido vel salso cognosci potest, tum sequenti hausto pituita expurgari debet.

℞ *Agar. Troch. fol. sennæ an. ʒj. 5. Zinzib. albi ℈j. contusa in sindone colligentur, F. nodulus qui in poculo cum* ℥. 4. *aq. Absinth.* per noctem maceretur, ac diluculo in ferventi aq. ebulliat, expressoq; nodulo liquor tepefactus exhauriatur 6. horis ante prandium, cui in robustis corporibus admisceri possunt ʒ. *ij. Diaphœn.* Corpora biliosa ex flavedine faciei, & cutis ac oris amarore deprehenduntur, quæ purganda erunt sequenti hausto.

℞ *Prun: Ungar. N. o. v. Tbamarind. ℥j. Macerentur in aq. Cicho.* ℥ *vij. per ix. horas*, deinde ebulliant, & expressa colentur, colati jusculi accipe ℥ v. in quibus macerentur

per

per noctem *rad. Ellebo. nig. præp.* ʒ. *iij. Fol. Sennæ. Zinzib. ana* ʒ. *ß.* quæ contusa & in sindonem ligata ac per noctem macerata altero die leniter ebulliant, & expresso nodulo liquor tepidus ebibatur, vel expurgetur Melancholicus humor, *Confect. Hamech. & Elect. Diacatholic.* ʒ *vj. cum* ℥ *v. aq. Card. Bened. resolutis* & sex horis antè prandium assumptis. Porrò in evacuandis mulierculârum virginum & puerorum corporibus pro ætatis & virium ratione satis erit, *Cass. rec. evulsæ* ʒ *x.* devorandas præbere, Pueris verò tantum ʒ vj. vel ℥ 5. aut exhibere *Mannæ* ʒ *vj.* Et junioribus paulo minus usq; ad ℥ j. ß. in jusculo pulli resoluta. Brevissimè enim corpora tenella expurgant. Mallem tamen semper ut purgantia remedia ex consilio medici assumerentur. Quicunq; corpora vitiosis humoribus obnoxia hac ratione tempore pestis evacuant, & tandem reliquis præservantibus Antidotis tempestivè utuntur, rarissimè inficiuntur, & infecti celerius liberantur.

Purgantia sine consilio Medici non usurpanda.

Affectus & animi perturbationes tempore contagionis quomodo sint moderandæ?

Affectus.

Fœlix & beata esset vita hominis si non continuis affectionum procellis perturbationibusq; agitaretur: Adeo enim obnoxia est mens humana affectibus, ut donec ratio & sensus vigent, semper cum eis inter dormiendum etiam conflictandum sit.

Affectuum autem genera duplicia sunt, Bona nimirum & mala, sive tristia & suavia. Bona seu suavia tantum sunt, Bona spes & Moderata lætitia, quæ naturam [illegible] autem mentem excruciando destruunt.

ſtruunt, ac demoliuntur, Is itaq; prudentisſimus cenſenſus eſt, qui affectus moderari novit. Omnium autem peſtilentisſimi affectus ſunt tempore contagionis, *Triſtitia, ſollicitudo, Timor & metus mortis atq; conſternatio.* Hi enim affectus inſidias ſtruunt vitæ, qui Spiritus ſancti ſubinde quoq; fugandi, vincendi & diſcutiendi ſunt auxilio. Plures enim horum affectuum faculis, tempore peſtis, inficiuntur & intereunt, quam ipſa peſte, vel venenatis halitibus morientium, & experientia teſtatur, ut qui hujusmodi affectibus non ſunt obnoxij, ut ſunt mente capti, aut ſervi fatui eos peſte nunquam aut rariſſimè infici & interire. Cum itaq; animi anxietas, & de vita præſenti ſollicitudo, mortisq; metus tempore peſtis animum tam violenter perturbent, ſpiritus vitales labefactent, & cordis, quod vitæ arx eſt, temperiem deſtruant, & peſtilenti infectioni, adeoq; morti feneſtram & januam aperiant, omnibus ſingulari diligentia enitendum eſt, ut forti animo indubitata fide & ſpe bonâ per moderatam lætitiã & hilaritatem in timore Domini talia diſcutiamus, ut omnes occaſiones, nobis ejusmodi terrores ac pernicioſos carnifices & profundas cogitationes mortis & ſenſus auditum & viſum inferentes, omni ſtudio fugiamus atq; evitemus. Sunt autem occaſiones talia monſtra nobis ſuggerentes, tremoremq; incutientes, profundæ cogitationes, de morte narrationes, crebræ hiſtoriarum & eventuum, qui circa præſentis temporis mortuos contingunt, de celeritate obituum: De miſerabili pauperum ac peregrinorum ſolicitudine ac deſertione, de defunctorum multitudine ſeu pluralitate. Item aſpectio pomparum funebrium divitum, & contra aſpectio miſeræ conditionis pauperum & peregrinorum, quibus vix ea pietas contingit, ut reperian-

Motus exſtationes explodendi.

tur quidam, qui eos efferant terræq; mandent. Aſpectio proceſſuum funebrium; in qua demortuorum corpora ordine & agminatim ad ſepulchra deferũtur, Hæc omnia animos hominum non poſſunt non validiſſimè perturbare, terrorem tremoremq; & conſternationem animis incutere & infectionis mortisq; cauſam prębere. In his non poſtremum locum obtinet ſuperſtitioſus, non dicam impius, campanarum boatus. Primum ut puto per ſacrificulos & monachos in Eccleſiam DEI introductus, & ad avaros fructus excogitatus, qui tamen nec animæ nec corpori nec famæ demortuorum quicquam prodeſſe poteſt. Nec caret hic campanarum abuſus manifeſtâ ferme impietate, cum vulgus arbitretur, ſe ſalvari non poſſe, niſi cum ſonitu efferatur. In quos rectiſſimè convenit illud Davidis, de impiis loquentis. Memoria eorum perit cum ſonitu. At pietati & humanitati magis conſonum eſſet, præſertim tempore peſtis, unius tintinnabuli ſonitu plebem ad funera convocare, quàm miſerorum amicorum & propinquorum animos tali campanarum ſtrepitu & tumultu magis magisq; excruciare & vulnerare.

Campanarum frequẽtior pulſus formidinẽ incutit.

In benè conſtitutis Eccleſiis ac Rebuspublicis, jam dudum abrogatum eſt ejuſmodi aucupium, & Lipſiæ quidem, Noribergæ, & in Joachimica valle in funebribus põpis, vix una auditur campana, ne videlicet boatu campanarum, ac ſtrepitu, animi hominum præſertim puſillanimorum magis perturbentur; Idcirco piorum Eccleſię doctorum & boni Magiſtratus officium erit, ejusmodi infectionis occaſiones præſertim tempore peſtis tollere, & hanc conſuetudinem inutilem emendare & abrogare.

Præter has occaſiones mortis, ſolet Sathan quoque tempore peſtis vitæ humanæ acerbiſſimus hoſtis miſeris mortalibus

mortalibus pavorem & pernitiosam consternationem incutere, & varia spectra eaq; horribilia & phantasmata mortis nocturno tempore afferre & objicere, per apparitiones Dæmoniorum, & per voces mortuorum, præsertim in plateis & circa cæmiteria ambulantibus, quibus ita cõsternantur & exanimantur homines, ut nulli ferè, quibus apparent, supervivere possint, sed paulò post moriendum ijs sit. Quilibet itaq; nocturno tempore in peste se apud suos, vel in sua habitatione continere debet, nec per plateas, ac potissimum ubi corpora mortuorum sunt sepulta divigari. Magna sanê est Barbaries & incõsiderantia apud nos Boreales, qui tempore pestis omnium ferè demortuorum corpora, non tantùm in templis verùm etiam in cæmiteriis in media urbe constitutis sine discrimine sepelimus, unde tandem adveniente vere per exhalationem cadaverum novam pestem excitamus, & nos nostrosque inficimus. Sed hujus mali quoq; correctio, ad officium pastorum Ecclesiæ, & pium Magistratum pertinebat. Pia & sapiens antiquitas inde ab initio extra urbem suos demortuos in honesto loco contumelare curavit, & adhuc hodie, in benè constitutis Rebus publicis observatur studiosè. *Spectra.*

Hæc de curatione præservativa dixisse, satis esto. Hic tamen colophonis loco adjiciatur, homini Christiano nullum esse præstantius & efficacius præservativum remedium, quàm posse contemnere mortem, vitam caducam parvi facere, & cum æternâ vitâ nobis per Christum partâ DEO sic volente commutare libenter velle. Hæc sunt S.S. Alexi pharmaca.

Curatio Pestilentis contagij liberativa Quæ, Quotuplex & Quando adhibenda.

Curatio Infectorum.

Θεραπεία ἐλευθερωτικὴ pestilentis contagionis est, quæ jam infectis & ægrotantibus extirpandi veneni contagionis, & sublevandæ humanæ naturæ causa adhibetur, præsidiumq; adfert. Duplex autem & quidem statim in initio infectionis, ac simul eodem tempore instituenda est *Liberativa curatio*, una animi, altera corporis.

Qualis & unde peti debeat animi curatio peste infectorum.

Animorum Cura.

Cum tanta sit Pathematum, seu Perturbationum animi vis & violentia cùm in conservatione valetudinis, tùm in destructione humanæ naturæ, ut paulò ante demonstratum est, præsertim tempore pestis, impossibile est corporis sanitatem restitui & à morbo quenquam liberari, nisi prius animi tollantur perturbationes, aut saltem in tranquillum statum reducantur, liberentur à naturæ adversis affectibus, ut sunt sollicitudo, metus, terror & anxietas. Horum hostium naturæ depulsio, non è medicorum decretis petenda est, sed S.S. Alexipharmacis, hoc est solidis consolationibus; ex verbo DEI per ministerium haustis, & cum spirituali, tum Sacramentorum corporali usu ac manducatione corporis ac sanguinis JESU Salvatoris obsignatis, occurrendum erit. Eam enim curationem, facilè ac sponte sequitur & corporea liberatio à peste. Nullum autem præsentius & efficacius Remedium anxiũ animum pacatum ac tranquillum reddere potest, quàm bona conscientia in fide ac spe in Christum collocata, id

quod

quod *Nazianz.* hisce testatur verbis: ἡδὲν ἄτως εὐφραιεῖν ἡμᾶς ἐωθεν ὡς τὴ συνειδὸς καθαρὸν καὶ ἐλπίδες ἀγαθαὶ, id est, *nihil nos magis exhilarare solet, quàm pura conscientia & spes bona*. Conscientia autem pura fide comparatur D. Paulo teste, *Justificati fide pacem habemus cum Deo.*

Corporibus infectis peste quando & qualis adhibendo curatio liberativa.

Statim ubi quis ex paulò ante enumeratis signis, ut in præsenti peste sunt, capitis dolor, somnolentia inusitata, frigus febrile, Nausea, Tensiones Præcordij, Tormina ventris & Bubones seu glandularum tumores in emunctoriis. Ex his, inquam, signis si unum aut plures compareant, nullo modo sunt parvi facienda aut procrastinanda, & contagioni inducia concedendæ, sed statim ac celeriter in ipsa infectionis hora aut paulò post, etiam in media nocte, antequam vis pestilens, contagij & fraudulentus vitæ hostis cor (*arcem vitæ*) occupet, & Spiritus vitales prosternat, vitæ dimicanti quovis modo auxilia & subsidia sunt ferenda. Methodus autem liberativæ curationis consistit primum in celeri excrementorum ventriculi, & intestinorum si necessitas requirit (sæpè autem necessitas non exigit.) evacuatione. Secundò in venæ sectione, quæ & ipsa non in omnium corporibus admitti debet aut potest. Tertiò in Alexipharmacorum, id est, remediorum venenum pestiferum vincentium, & per sudorem propellentium exhibitione. Quartò in cordis & Spirituum vitalium corroboratione.

Non sunt infectis danda inducia.

Methodus infectos curandi. Hæc omitti debent & statim ad alexiteria properandum.

Circa evacuationem ventriculi & Alvi contagione infectorum quæ sint observanda.

Non omnia peste infecta corpora necesse habent, vel ventriculi vel alvi evacuatione, sed ea tantum quæ ventriculum habent cruda colluvie refertum, aut paulo ante infectionem cibo potuq; repletum, aut quæ tensiones punctionesq; circa præcordia sentiunt. His ante venæ sectionem, si ea necessaria videbitur, aut ante Alexiteriorum sudorificorum assumptionem, ventriculi colluvies statim in principio morbi, per vomitum evacuanda erit. Vomitus autem facilè excitabitur præsertim iis, qui sunt apti ad vomendum, assumpto haustulo aquæ tepidæ, qui verò difficilius vomunt, assumptæ haustulo liquoris aquosi *ex granis Juniperi cum pelvi per descensum destillati* & immisso in fauces digito. Quibus verò pestilenti contagione infectis alvus sit adstricta, aut triduo aut amplius nihil per alvum egesserunt, aut qui torminibus ventris affliguntur, statim in pestis invasione, antequam vel sanguine detrahant, aut sudorifico remedio utantur, alvum solvere oportet, aut glande medicata, quam *suppositorium* vocant, *ex melle salv. pulv. Colocyn. parata* aut ex *Sapone veneto* instar calami formato, & oleo inuncto & ano indito, aut quod salubrius est, Clystere ex jure carnis bovillæ aut gallinæ, in qua incoctæ sunt *Malvæ, Mercur. fl. Chamæm. & Aneti cujus* ℔ *j. admixtæ sunt Cass.* ʒ *ij. Ol. Cham.* ʒ *iij. Salis.* ʒ. quæ tepida in rectum inteſtinum infundantur, Ab aliis verò violentioribus Pharmacis evacuantibus omnino abstinendum est, nisi forsan processu temporis, aut corruptæ bilis copia purgationem desideret, quæ aut ʒ *x. Cass. aut* ʒ *iij. Syr. Ros. sol.* evacuari potest. Pituitosa autem colluvies expurgari debet infuso Agarici, Qui autē nec ventriculi evacuatione nec alvi emollitione, nec sanguinis missione egent, infecti, ijs statim in initio Alexipharmacum sudorificum propinandum est.

Suppositorium ex Colocynthide.

Aut tantum clyster ex lacte & butyro vel oleo oliv.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728449757/phys_0138
DFG

Circa venæ sectionem Peste infectorum, quæ sint observanda.

Magna est inter medicos dissensio de quæstione, *utrum peste infectis corporibus prosit venæ sectio, aut non.* Maxima eorum pars non modo utilem sed & necessariam sanguinis extractionem esse judicat; Excellentissimi verò nostræ ætatis Medici, *Montanus Fernelius & Hyeronimus Fracastorius*, non modò inutilem sed & perniciosam esse venæ sectionem, peste affectis, asseverant, his nixi rationibus. Per vehementem putridorum humorum agitationem, magis augetur putrefactio, & pernitiosi excitantur halitus. In venæ sectione vehemens fit corruptorum humorum agitatio. Etgo venæ sectio infectis noxia & pernitiosa est. Item. Pestilentiæ semina-ria extrinsecus in corpus trahuntur,& in venis arteriisq; extremis in initio morbi hærent tantùm. Secta autem vena propter commotionem universi sanguinis introrsum ad principalia membra corporis trahuntur, & universæ massæ sanguinis miscentur, Ergo præstat sanguinem non commoveri. Hæc probant similitudine quadam, Ut enim inquiunt, si poculo aquæ, salis aut fellis quippiam injiciatur, donec aqua quiescit, minus salsa aut amara percipitur. Ubi autem aqua agitetur, tota salsa & amara redditur; Idem contingere & in sanguinis missione, cum seminariis pestis; & addunt experientiâ compertum esse, maximam partem infectorum, quibus secta est vena, periisse. Ideò venæ sectionem fugiendam docent. Verùm etsi hæc excellentis. medicorum argumenta plurimum ponderis apud me habeant, tamen venæ sectionem, ut non in omnium corporibus

In Peste nõ phlebotomandum.

Simile.

ribus moliendam esse profiteor, non tamen omninò è curatione pestis tollendam esse, judico, hisce regulis observatis.

Cur V. S. interdum admittenda?

I. *Omnis tinctura contagionis* ἀναλογίαν habet aut ad Spiritus aut ad putridos humores; Quæ ad Spiritus, citiùs infectos interficit, ut plurimum sine tumoribus, Bubonibus & Carbunculis perdit, iis quidem frustrà & non sine noxa adhibetur venæ sectio. Quæ ad humores, tardiùs interimit, & cum tumoribus, carbunculisq; erumpentibus interficit, in ea concedi potest venæ sectio, si cætera consentiant.

II. *In venæ sectione semper* habenda est ratio virium, ætatis & constitutionis temperamentiq; corporum, quibuscunq; enim infectis robur virium adest, & ætas non prohibeat & corpus habeant Pletoricum, id est robustum, carnosum, rubrum & pilosum, & venas sanguine turgentes, ijs maxima cum utilitate, audacter vena incidenda erit, Econtra in quibus corporibus unicus tantùm humor vitiatus prædominatur, si vires & ætus ferant, præstat illis redundantem humorem ac vitiosum benigno Pharmaco subducere, quàm per venæ sectionem sanguineam massam agitare.

III. *Peste infectis quibus aut* menses fluunt, aut Hæmorrhoides, aut sanguis è naribus uberius erumpit, ijs non est vena secanda.

IV. *Quibuscunq; infectis vires*, ætas & constitutio corporis, venæ sectionem concedit, ijs statim in initio & ipsâ horâ invasionis aut paulo post intra quatuor horas priusquam indormiat æger, vena incidenda erit. Nam ubi differatur & procrastinetur venæ sectio, ægritudoq; aliud morbi genus esse putetur quàm pestis, & interim semina-

ria pe-

ria peſtis per ſpiritus & univerſam ſanguineam maſſam diffundantur, (quod ut plurimum intrà 24 horarum ſpatium fieri contingit, tum non tantum fruſtranea, verùm etiam noxia eſt Venæ ſectio.

V. *Quibuscunq; peſte infectis* ætas, vires & conſtitutio corporis, venæ ſectionem deſiderant, & vel tumor vel Bubo vel Antrax prodijt, ſi prope aures hæreat, aut circa collum Cephalica, ſi ſub alis Mediana aut Hepatica, ſemper ejusdem lateris incidi debet.

VI. *Venæ ſectio periculoſa eſt* Nauſeantibus, & qui per Venæ ſectionem in Lipothymiam incidere ſolent. Difficilis quoq; iis qui venæ ſectioni non ſunt aſſvefacti.

VII. *In inciſione Venæ* cavendum eſt, ne ſcalpellum, quo inciditur vena, antea infecto & venenato ſanguine pollutum ſit & contaminatum.

IIX. *A venæ ſectione per* 6. ad minimùm horas æger â ſomno eſt arcendus.

QVIBVS REMEDIIS TINCTVRÆ & Seminaria Peſtis ex infectorum corporibus ſint propellenda & extinguenda?

STatim in initio peſtilentis morbi paucis aut pluribus ſignis infectionis apparentibus poſt peractam evacuationem ventriculi & alvi & ſanguinis detractionem, ſi eas neceſſitas efflagitet, nec ætas nec temperamentum impediat, aut eis, ſi non ſit opus, prætermiſſis, Remedia Alexipharmaca intra corpus ſunt adhibenda, quæ ſua ἀντιπαθείᾳ ſpecificaq; proprietate Venenatam Peſtis tincturã per ſudorem propellere & ſeminaria peſtis extinguere vale-

Alexipharmaca.

valeant, & quæ primis suis Qualitatibus corporis temperamentum non destruant. Nulla enim est via in corpore humano, per quam contagionis seminaria commodius expelli queant, quàm per poros cutis sudorem movendo, præsertim in eo genere pestis, quod ἀναλογίαν habet cum spiritibus;

Quanquam & putridi humores per sudorem purificentur. Sunt autem Alexipharmaca ferè infinita & varia à Medicis enumerata, quorum pleraq; non tantum sunt inepta & fallacia, verùm etiam sæpè noxia, plurimis enim libellis de Peste hujusmodi inserta sunt remedia cùm præservãtia, tùm liberantia, quorum nemo fermè experientiam fecit, sed aut proprio ingenij discursu excogitavit, aut unus ex alio recepit & suis scriptis inseruit. Ea omnia nos consultò negligimus, ea tamen fidelissimè tradituri, quæ per plures Pestes usu, observatione & experientiâ comprobavimus.

Author propriâ experientiâ comprobata tantùm recenset.

Omnia remedia in præcedentibus, quæ pro Præservatione proposita sunt, commodè & in curatione liberativa, certâ tamen mensurâ ac modo usurpari possunt, quorum alia simplicia alia composita existunt. Ex simplicibus præstantiss; sunt, si *una. 3. pul. vel nobilis scordij, vel rad. Petasitidis, vel Sarmenti Indici, quam Sarsam Parillam Hispani vocant, aut fol. card. Bened.* tepida propinetur. Est & insignis vis in propellendis seminariis pestiferis; si in initio invasionis ebibantur, ℥. iij. *succ. Calendulæ,* aut tantundem *succ. Scabiosæ,* quorum tamen succorum periculum ego nullum feci. Ijs tamen authoritate *Galeni* excellentiora sunt *pulv. ʒ. j. Boli Armen. aut Terræ Lemniæ* si genuina & non multum adulterata ad nos portaretur. Sed his omnibus præstantior est *pul. unicornu Hercinij ℥ cum hausta aq. Scord. vel Card. Bened. vel aceti vini* assumpta. Est autem

Optima simpliciũ Antidotus.

tem *Unicornu Hercinium* meo quidem judicio Species Mineræ, quæ ante paucos annos è montibus Sudetorum in Hercinia sylva effodi cepit, similis ossibus grandium animalium. Et incolæ fabulantur in diluvio montes ipsos unà cum unicornis & aliis grandioribus animalibus ibidem esse conglomeratos & induratos. Cujus vires in expellendo sudore tantæ sunt & venenis extinguendis, ut experientiâ propriâ didici, ut ullius alterius rei; *Corallia quoq; & Margaritæ in succo Limonum aut Citri aut aceto resolutæ*, præterquam quod pestilenti contagioni adversentur plurimùm, Cor, Epar & Ventriculum mirificè corroborant, Dosis autem earum in robustis est 3ß, In Imbecillioribus ʒi. Hæc si haberi nequeunt, præstantiss. est *Cornu cervi* apices præsertim, respondet enim unicornu in duplo sumpti, tempestivè capti, cujus abrasus pulvis, & tenuissicontritus per sudorem venenum efficacissimè propellit. Ustum verò seminaria pestis exiccando extinguit. Inter has *sal Scordij* & *sal urinæ humanæ*, si eorum ß exhibeatur *cum hauſt. aqu. Scordij, aut aqu. Card. Benedicti.* Porrò compositionem Alexipharmacorum omnium nobilissima & maximè veneranda est *Theriaca Andromachi.* Quæ suâ divinâ quadam εὐλογιᾳ Θεία & compositionis suæ cœlesti Harmonia Venenatis omnibus & Pestilentiæ tincturis mirificè adversatur, ejusq; vestigia delet. Intellige autem *Ther. Andro.* non illam, quam vel Italiæ Urbes, Venetiæ, Genua & aliæ Civitates, vel quam Belgium in doliolis nobis mittit, Sed eam quæ in Germaniæ plerisq; Urbibus, in Norinberga, Lipsia, Witeberga & aliis locis ab eruditis & industriis Pharmacopolis in corona plurium Medicorum paucis ante annis & hodie cœpit præparari atq; præparatur. Reliqua pretiosa auro gemmisq; splendentia,

Unicornu Hercinium quid?

Composita Antidota.

& ad ostentationem confecta Alexipharmaca, nec rationi consentanea, nec experientiâ comprobata, ut vana, stulta & sæpe venenata, prorsus rejicimus. Qui enim libellos de Peste conscriptos legerit reperiet ea non à se excogitata, aut discursu ingenij inventa, sed ex aliorum libris descripta esse; Ego verò adnotabo tantum ea Alexipharmaca composita, & quidem perpauca, quæ *jam septuagenarius* per plures Pestes observavi & expertus sum salutaria & verè Alexipharmaca esse, quibusq; semper felici successu usus sum, enumerabo, quorum primũ erit *pulvis aureus Joëlis*, qui sic habet.

NB

Pulvis aureus Joëlis, cui officinæ semen citri addere solent quod tamen in Manuscripto non extat.

℞. *Scordij* ℥ j. *Card. Bened.* ℥ ſ. *Veron.* ʒ. ij. *Rad. Petasitidis Sarmenti Indici, (quod Hispani salsam Parillam vocant) ana* ℥. ſ. coru cervi usti cum succo Scord. pp. ʒ. v. Corall. rub. pp. ʒ. iij. Tenuiss. pulverisata commisceantur & ad usum probè reserventur.

† Dosis.

† Dosis hujus nostri pulveris robustioribus est ʒ. ij. pond. Mediocris constitutionis ʒ. i. ſ. Imbecillioribus mulierculis & virginibus ʒ i. Infantibus pueruli ℈ I. aut paulo plus. Exhibetur mixtus cum hausta aq. Scord. aut Card. Bened. aut aceti medicati jã ante in Præservat. Pestis descripti.

Ex hoc *aureo meo pulv. & Androm. Theriac.* valde salutares hauſtulos sudorificos pro infectis à præsenti contagione ita parare soleo, nec alijs utor remedijs.

Sudorifera.

Robustis. ℞. *Pulv. Aur. Joëlis* ʒ. ij. *Ther. And.* ʒ. ſ. *aut vice versa, Th. And.* ʒ. ij. *Pulv.* ʒ. *Commisc. cũ haust. aq. Scord.* aut aceto medicato fiat Haustus. In mediocri corporis constit. viribus adhuc stãtib.

℞. *Ther. Andr. pulv. Auret ana* ʒ. i. ſ. *cum præscriptorum liquorum uno fiat Haustus.* Imbecillioribus puellis ac pueris.

℞. *Ther. Andr. pulv. Aurei ana* ʒ i. *cum uno liquorum præscript. Commisc.* ℔ *Haustus.* Infantibus bimulis & infra accipi potest, singulorum ℈ I. plus aut minus pro annorum numero & virium robore cum ijsdem liquoribus.

Hisce

Hisce præscriptis Alexipharmacis & sudorificis haustulis quicunq; in præsenti Peste tempestivè antequã Pestilens venenũ spiritu virales & humores tinxit, omnes (soli Deo gloria) iterũ sanitati restituti sunt, ne uno quidẽ mortuo. NB

Alterum meum Alexipharmacum paulò efficacius priori, propter celerem penetrationem ejusdem est farinæ, cui nomen in Myropolio indidi *Electuarium de Scordio Joelis*, cujus compositio sic se habet. *Electuarium de Scordio Joelis.*

℞. *Pulv: Scord. Card. Bened. ana* ℥ *ß. Veroni* ℈ *II. Rad. Petasitid.* ℈ *VI. Sarm. Ind. seu salsparill.* ℥ *ß. cornu cervi rasi & in tenuiss. pulv. redacti* ℈ *V. unicornu Hercin. paulò antè descripti* ℈ *III. Croci.* ℈ *I. Coral. rub. pp* ʒ *I. ß. omnibus tenuiss. pulverisatis & commistis admisc. Ther. And:* ℥ *IV. & diu multumq; in mortario contundantur, admiscendo si necessitas exigit q. ß. Syr. è suc. citri acidi ad consequendam formam duriusculæ massæ, qualis est recens massa Pill. cui massæ circa finem contusionis admisc. Olei Vitr.* ℈ *III. Ol. Angel.* ℈ *II. ft massa; & in denso fictili aut in argenteo vase conservetur, Dosis exhibendi hujus Elect. nostri, Robustis quidem est* ʒ *I. Pueris* ʒ *ß. Infantibus* ℈ *I. cum haust. aq. Scordij aut Card. Bened. aut aceto medicato.* NB

Dosis & Usus.

Pauperiores & qui præscripta remedia præstò habere nequeunt, ut qui vel in villis aut itinere, contagione deprehenduntur, ij recipiant herbas viridis paucas aut plures, quas habere possunt, *Scordij, Card. Bened. Rutæ, Calendulæ aut Rad. Tormentill. aut Petasitidis* quæ contundantur aceto conspersa, & succus exprimatur ad mensuram ℥ IV. aut unius mediocris haustuli, & tepidum ebibatur pro sudorifica potione.

Pro pauperibus.

℞. *Pulv. Bacc. Lauri & Bacc. hederæ arboreæ ana* ʒ *I. cum haustu aceti ebibantur.*

Habitâ tamen ponderis ratione ad ætatẽ & vires. Adjiciam hoc loco duo remedia à Paracelsi asseclis vehementer commendata, quæ quia â ratione non abhorrent, uti illis licebit; sed cum ratione & in robustis corporibus. quorum I. est *Georgij Phadronis in libello de Peste* quod sic habet. *Remedia Paracelsistarum.*

Remedia Paracelsistarum.

℞. *Euphorbij, Myrrhæ elect. Thuris albiss. ana ʒ ii. Trag. puriss.* ʒi pulverisata involvantur in massam panis farinaceam, quæ coquatur in furno donec panis sit perfectè coctus, Deinde ex refrigerato pane eximatur, ex recitatis rebus materia compacta, ac iterum in pulverē redigatur, eisq; *admisc. tenuiss. pulverisat. Corall. rub. pp. succini fulvi pp. ana ʒ ß unicornu veri gr. VII. Opij puriss. ʒs Moschi gr. III Croci ʒs cum q. s. Syr. de Citro acido* ℔ *massa Electuarij*, cujus dosis pueulis infra x annos est ʒi, Adultioribus ʒ ß Robustis verò ʒi cum hausta vini. Verùm cum Unicornu verum rarissimè haberi queat, ejus loco ego substituerem, *ʒ ß Unicornu Hercinÿ aut ʒi Rasuræ cornu cervini in Septemb. capti.* Alterum Alexipharmacum est prorsus Chymicum id est venenatum, quo neminem uti velim, nisi in rigidis & robustis corporibus, quod ita habet.

N. Chymica cum venenatis cõvertuntur.

℞. *Mercur. siv. Argenti vivi Chymica arte pp. & sæpius abluti* ʒs *Auri ungari. in scobem rasi gr V. Misce, Quibus adjici poterit unicornu Hercin.* ʒs ℔ *Pulv. cum vino aut aq. Scord. ebib. poterit*, Reliqua Remediorum Alexipharm. genera ad impostruram excogitata, quæ à Paracelsi pecudibus, passim viris principibus & opulentioribus proponuntur, iisq; plus quam divinæ vires in profligandis Pestilentiæ contagiis tribuuntur, cujus generis sunt *Aurum potabile, tinctura Saphyri, tinctura Hyacinthi*, liquoresq; aliarum gemmarum, Item *venenata olea Antimonÿ & Mercurij*, quoniam meræ sunt imposturæ & pernicioſæ, hic non commemorabo, nec eis uti velim quenquam, priusquam fabricatores eorum præbiberint prægustarintq; & in proprio corpore periculum fecerint. Detestor quoq; ego inconcinnam, ineptam, fatuam, & omni ἀλαξίᾳ carentem atq; venenatam compositionem popularis Alexipharmaci, Quod *Ovum aureum* vocant,

vocant, & quo in tota ferè Europa in omnibus familijs ob quorundam Medicorum commendationem tanquam divinitùs monstrato remedio utuntur; Ex cujus usu infiniti quoq; extinguuntur. Jure autem aureum ovum tanquam pernicioſum toxicum damno. *Primùm* quia recipit Nucem Vomicam fructum venenatiſſ. & citò extinguentem, ut quilibet periculum facere queat in cornicibus & canibus. *Secundò* quia admiſcentur extremè calida, quæ ſua caliditate deſtruunt ἰδιοσυγκρασίαν & corporis & ſpirituum. *Tertiò*, quid quæſo crocus exuſtus & ovi luteum aduſtũ in corpore aliud agere poſſunt, quàm ut cinis & fuligo, nempe viſcera exurere. *Quartò*, Ejus deſcriptio non eſt uniformis, ſed in omnibus Myropolijs adeoq; in omnibus familiis diverſam & aliam aliamq; habet præparandi rationem.

Ovum aureum exploditur.

Quare?

NB

Quando & quomodo utendum præſcriptis Alexipharmacis ijs, qui Peſte infecti ſunt?

Alexiteria ſtatim in principio exhibenda antequam ſomnũ capiat æger.

Occaſio.

QUemadmodum antea de evacuatione ventriculi & alvi atq; de ſanguinis detractione diximus, ea ſtatim in initio morbi ſive infectionis, antequam peſtilens virus & ſpiritus & humores tinxit, eisdemq; ſe in totum miſcuit molienda eſſe, ita & de Alexipharmacis aſſumendis ſtatuimus, nimirum ea ſtatim in initio morbi, ubi unum aut plura ſigna infectionis comparuerint, & intra 4 horas & antequam ſomno opprimatur æger, aſſumenda eſſe, niſi ſanguinis miſſione ſit opus, duabus enim horis poſt ſanguinis miſſionem quieſcere à Medicamentis oportet. Nam ſi oportunum tempus in infectione prætereatur & leviora peſtis ſigna contemnantur, aut aliud morbi

morbi genus referantur, veluti vulgus facere solet & sic argumentari: Nullus adest tumor aut Bubo aut carbunculus, Ergo non adest Pestis; Sed est febricula aut capitis dolor. At certè tempore Pestis omnis morbus etiam ipsa vulnera suspecta nobis esse debent. Si quis enim signa lethalia exspectat, nempe halitum ægri fœtentem, vomitiones & egestiones alvi nigricantes, vel Bubonum Anthracumq; eruptiones, quæ mox evanescant, aut postliminiò erumpant, ijs & evacuatio frustranea est, & sanguinis missio noxia, & Alexipharmaca assumpta parum efficere poterunt; Quia venenum jam vicit Naturam & mors triumphare videtur. Ex recitatis itaq; sudorificis haustulis unus isq; tepidus ebibatur, & æger in lecto decumbens probè obtectus vestibus ad sudandum se componat, & per duas aut ad minimum ad sesqui horam sudet strenuè, sudoremq; subinde calidis linteolis sub ipsis stragulis abstergat, caveatq; ne frigidi aëris appulsu aut stragularum remotione sudoris effusio impediatur, intraq; viscera repellatur; Arceatur quoq; æger sudans ne inter sudandum dormiat, & si somno vehementius infestetur, subinde spongiola aut linteolum aceto vel vini vel Rosar. imbutum naribus odorandum admoveatur. Sudore ita probè effuso, denuo mundis linteolis per totum corpus abstergatur & novo indusio vestiatur, & in lectum novis linteaminibus adornatum deponatur, mundis cervicalibus suppositis, & si dormiturit æger, prius panis buccellam in vino maceratam & pauxillo Saccha. Cinamo-moq; consperſam, corroborationis virium gratia devoranda præbeatur, & sic per unam aut alteram horam, quiescere ac dormire permittatur, Qui ubi evigilaverit, tandem & remedijs & alimentis spiritus vitales & cor corroboretur. Qui-

Non dormiendum inter sudandum.

QVIBVS REMEDIIS AD CORdis & spiritum vitalium corroborationem, & qua ratione utendum.

CUM Peste infectis cor & spiritus vitales omnium maximè periclitentur, veluti milites in acie constituti, ne à continua pugna cum veneno Pestis succumbant, eis & remediis & alimentis convenientibus subinde succurrendum & opitulandum erit. *Consortantia.*

Sunt autem corroborantia remedia duplicia; Alia quæ intra corpus assumuntur, & quæ foris applicantur alia. In remediis autem corroborantibus exhibendis duo sunt consideranda. I. Ut eis semper admisceantur ea quæ seminariorum pestis reliquias extinguere queant. *Cautio.* Deinde considerandum est corporis ægrotantis Temperamentum, utrum vel calidum vel frigidum sit, ut si calidum est, & calidos æstus circa præcordia sentit, crebrasq; calidas exhalationes per universum diffundi corpus percipit, tum sequenti Elect. subinde refocillandus erit.

℞. *Conf. Ros. Borag. Bugl. Pyrorum Moscatell. condit. & minutim conciforum ana* ℥. j. *commisc. eidemq; admisc. pul. tenuiss. Coral. rub. & Boli Armen. veri ana* ʒ l. *sp. Diamarg. frig.* ʒ II. *se, Card. Bened. Acetosæ ana* ʒ ſ. *Marga. vel* ℔ *vel in suc. Limo. vel aceto rosa: solutarum.* ℈ II. *Syr. Acetos. citri q. ſ.* ft *Elect. cujus q. semijugl. aut nucis Avellanæ crebrò & diu & nectu gustet, aut sæpiusculè devoret rot. II. Manus Christi cum perlis vocatis, aut rot. Diamarg. frig.* *Calida temperamenta quo modo refrigienda.*

Foris autem in Temperamentis calidis cordis regioni & manuum carpo subinde applicetur sequens Epithema, duplicatis linteolis exceptum. *Externa.*

℞. *Aq. Ros.* ℥. *VI. Nymph. Viol. Boragin: ana* ℥. *II. Aceti rosa.* ℥. *I. Spec. Diatrion sant. pul. sem. Acetosæ ana* ʒ *II.* vel conficiatur saccus quadratus cordis regioni ad aptatus ex sindone, in quo sequentia consuantur.

℞. *Rosa purpur. M. II. Fl. Nymphææ Citrinæ M. I. pulv. Sand. rub.* ʒ. *II. sp. cordialium frig. Diamarg. frig. ana* ʒ. *j. Sem. Acetosæ* ʒ. ß. *contusa misceantur & in sacc. intersuantur. ac cum Epithemate præscripto irrigentur & cordi regioni alligentur.*

Quomodo frigidi temperamenta reficienda.

In frigida verò constitutione corporum, qualia sunt Pituitosa, & ut plurimum fœminarum, quæ nullas sentiunt febrium relliquias, nec calidas evaporationes, sed potius ventriculi eruditatibus laborant, ijs hæc sequentia exhiberi & applicari utilissimè possunt.

℞. *Cort. Citri Condit. Avant. Condit. ana* ℥. *j. conf. Rorismar. Borag. Meliß. ana* ℥. *ß. pul. se. Citri excort. & tenuiß. concisorum* ʒ. *II. pulv. Cinam. el.* ʒ*I. Carioph.* ℈ *I. Coral. rub. pp. Marga. ana* ʒ. ß. *Sp. Aromat. rosa.* ℈ *II. commisc. eidemq; admisc. Ol. Cinam. gutt. IIII. Ol. Vitr.* ℈ *ß. & cum q. s. Syr. Citri condit* ℔ *Elect.* cujus nucis Avellanæ quantitate sæpè devoranda præbeatur ægro, aut sæpè gustet mearum morsularum particulam, supra in præservandi ratione descriptarum, aut bis in die exhibeatur *Unius Cochl. mensura, aq. Cinamomi.* Foris autem imponatur frigidioribus corporibus sequens Epithema.

Externa.

℞. *Aq. Meliß. Borag, Bugl. ana* ℥. *II. vini Malv. seu alterius generosi & aq. Rorismar. ana* ℥. *I. suc. Citri mali* ℥. *ß. Aq. Cinam.* ʒ*I. Sp. Diamb.* ℈ *I. commisc.* ℔ *Epithema:* Quod linteolis exceptum cordis regioni & carpis manuum applicetur. Hoc ipso liquore & nares confricandæ sunt. Aut cum ipso liquore irrigetur sequens ex Syndone sacculus.

℞. *Meliſſæ M. j. Rorismar. Basilic. ana M. ß. Pulv. Carioph. Cinam. ana* ʒ. ß *cort. Citri* ʒ*I. ß. styrac. calam. Benzo. j. ana* ℈ *j. Sp. Diambræ* ʒ. ß *commisc. & Syndoni insuantur* ℔ *sacculus.* Plurimum quoq;

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728449757/phys_0150
DFG

quoq; corroborat in calidis quidem corporibus & æstuantibus præcordijs, si orificium Ventr. bis in die ante alimenti assumptionem sequenti Linimento inungatur.

℞. *Ol. Ros. Nymph. Citon. ana 3. ij. ceræ albæ q. 5. Redigantur in Linimenti formam, ac tandem eluantur ter cum aq. Rosa. ac postremò cum succo Citri vel aceto rosa. cui deinde admisc. tenuiß. pul. Coral rub. pp Mastic. ana 3i. ft Ltm.* In frigidis verò corporibus, ventriculi orificium inungatur *aut Ol. è nucibus Moschati, cui parum Ol. Gariophyl. sit adjectum,* aut sequenti linimento.

℞. *Ol. è Mastich. Nardi, Mentæ ana 3 ij. ceræ q. 5. ft linimentum quod eluatur, aut cum aqua Juniperi aut aq. Cinam. ac deinde admisc. tenuiß. pulv. Masti. & Garioph. & Coral. rub. ana 3 j. ft. unguentum.*

Etsi præscriptis remedijs spiritus vitales, cor ac reliqua viscera plurimùm corroborari certum sit, tamen nihil magis universam naturam & omnia viscera corroborat ac reficit, quam alimenta convenientia assumpta. Sed quia ut plurimum appetentia posternitur in Peste, præsertim in puerulis & fœmellis, ijs pro alimento subinde offerenda est, *aq. Stillat. caponum,* cum cujus carne & *conservæ & species, paulò ante enumeratæ* commodè destillari possunt. Reliqua infectorum alimenta, quæ pro cujusq; conditione ac fortuna liceat, debent esse optimi succi & facilis concoctionis. Cum autem alij acidis, alij dulcibus magis delectentur, ad palati cujuslibet placitum debent præparari. Ingenere autem convenientiss. sunt infectorum alimenta, *cremor hordei, Avenæ aut cum sacch. passuli q. dulcoratus, aut aceto aut Omph. conditus.* Præstant enim acida dulcibus ad veneni exstinctionem. Omphacia autem cum alimentis cocta, suâ quadam proprietate specifica extinguunt reliquias seminariorum

Aq. Caponum.

Infectorum cibi.

pestis, & ventric. corroborationem appetentiamq; excitant; Ideoq; commodissimè cum omnibus ferculis concoqui possunt. Item conferunt infectis quoq; *ova rec. sorbilia*, in quorum luteo commodè *pul. Coral. rub. Marg. & Macis* immiscerì possunt. Conferunt & jusculà ex ovis & cerevisia, item jusculà pullorum & caro contusa pullorum, item jusculà carnium Bovillarum cum Omphac. aut aceto condita, Oryza quoq; in jure Gallinæ aut carnis bovillæ cocta, item pruna Ungar. acida Lac Amygd. ex carnibus pullorum, perdicum & Avicularum Montanarum cum aceto aut omphac. & pauco croco condit. Ex piscibus Laudabiles sunt, soli Lucij & Percæ aculeatæ. Conferunt quoq; poma piraq; assata aut in pulmentum cocta. Potus infectorum convenientiss. est cerevisia clara & Palato grata, verùm si calor febrilis in infecto nondum est sedatus *aq. hordei cum Cinam. cocta*, quæ fervens per *conf. Ros. Borag. & Nymph.* percolata est ac refrigerata. Confert quoq; cremor hordei, cum uvis pass. & *Lac ex 4 sem. maj: cum aq. acetosæ* paratum, saccaroq; candi dulcoratum.

POST VIRIVM ALIQVAM RESTAVrationem quid agendu cum infectis.

Post cõfortantia exhibit aquid agendum.

ET ante & post corroborationem virium, post sudorificam potionem assumptam, pro extinctione reliquiarum Pestilentis veneni & dilutione putridorum humorum quotidie manè ac vesperi præbeantur ægrotanti.

Reliquiæ quomodo eliminandæ.

℞ III. sequentis potionis.

℞ *Syr. de Citro acido, è suc. Limonum, & è suc. Card. Bened. ana* ℥ II. *Aq. Scord. Card. Bened. ana* ℥ IV. *Mis. ft potio.*

Quarto à sudore

sudore die si vires mediocres sint, humorum putrid. à peste tinctorum colluvies, quæ adhuc in corpore hæret, placidissimo aliquo remedio iterum subducatur, qualia hæc subsequentia: ℥ X. *Pulp. Cass. Fistul. aut* ℥ III. *Syr. rosa. sol.* aut nodulo ex *Rhab. Agar. Troch. & fol. Senæ ana* ℥ *ß.* in Sindone ligatorum & in ℥ IV. *aq. Card. Bened.* per noctem macceratorum, & diluculo fortiter expressorum in eo liquore validioribus misceri & resolvi possunt, aut *El. lenit.* ℥ *ij. aut Diaphœn.* ℥ *ij aut in biliosis corporibus El. Rosat. Mes.* ℥ *j.* Hæc assumi debent diluculo 6 horis ante prandium.

CVRATIO SYMPTOMATVM IN PESTE.

Quæ Symptomata comitentur pestilentem infectionem.

SYmptomata pestem comitantia duplicia sunt: Propria & Communia. Propria quæ simul & signa sunt Infectionis, sunt I. *Tumor Glandularum* sive Bubo in Emunctorijs vocatis partib. II *Anthrax* seu carbunculus in musculosis partibus. III *Febris pestilens*, quæ est aut mitis. aut ardens & sævissima. Quam deinde IV comitatur capitis dolor. V Dormiendi inexpugnabilis cupiditas. VI Æstus præcordiorum. VII Sitis vehemens VIII Vigiliæ continuæ sive dormiendi impotentia. IX Nausea & vomitio. X Alvi fluxio XI Alvi nimia suppressio, XII Respirationis & suspirij difficultas. De quorum Symptomatum curatione brevissimè quàm possumus, ordine disseremus. *Symptomata quæ?*

CIRCA TVMORES SEV BUBONES Peſtilentes, quæ ſint obſervanda & quæ curatio.

Bubo peſtilens.

IN peſte potiſſimum, quæ ad humores putridos habet analogiam, ut plurimùm circa adenoſas partes, ut ſunt ponè aures, circa collum, ſub alis & circa inguina tumores peſtilentes excitantur, qui Græcis generaliter Bubones appellantur. Quanquam propriè tumores inguinum eo nomine tantum vocitentur, circa quos notatu neceſſaria ſunt hæc.

Prognoſtica.

Tumores peſtilentes quantò ſunt majores, & è cute eminentiores, tanto ſunt ſecuriores. Minores verò & ſub cute altiùs deliteſcétes magis ſunt periculoſi, quàm flavi, pernicioſi autem lividi & nigri. III. Bubones circa collum & ſub alis periculoſiores ſunt, quàm in Inguinibus propter cordis vicinitatem. 4. Statim in initio erumpentes Bubones ſecuriores ſunt, quàm qui tertio aut 4. die primò apparent. Maximè autem pernicioſi ſunt, qui erumpentes paulò poſt evaneſcunt manente virium debilitate.

Curatio.

CURATIO BUBONUM in eruptionis principio ejusmodi inſtitui debet: Si Bubo altius ſub cute deliteſcat, foras eliciatur, aut cucurbitulæ affixione, aut catapl

Quæ bubonem eliciunt.

ex rad. Raphani & Scroph. maj. & ſale pauxillo aceto q; conſperſis ac contuſis facti impoſitione. Si verò tumor ſub extenſa cute emineat, ſummo ſtudio conandum eſt, ut à nobilioribus partibus cordisq; vicinis ad ignobiliores & remotiores detrahatur, ut ſi ponè aures aut circa collum, aut ſub alis hæreat, ad volam manus, ab inguinibus verò

ad

ad plantam pedis revellatur, Ubi commodius & cum minori periculo curari incîdi & venenata materia ex eo extorqueri poteſt. Revelli autem aut detrahi tumor peſtilens, qui nondum radices egit, facilè ſequenti *catapl.* poterit, eo volæ manus vel plantæ pedis ejusdem lateris in quo Bubo inſidet impoſito, ac per noctem ter quaterve renovato.

℞. *Rad. glandulosarum Scrophul.* (Braunwurtz *quæ eſt ſpecies Bollotes ſeu Urticæ mortuæ, & quæ Buboniis jure appellari debeat.*) *maj.* ℥ II. *Rad. Raphani* ℥ j. *contund. ejusdēq; admiſceatur fermēti acerr.* ℥ j. ſ. *& cum aceti vini q. ſ. concoquantur, & in formam catapl. redigantur,* & volæ aut plantæ, prout neceſſitas exigit imponantur calida. Verùm ubi Bubo ſive Tumor radices egit, & tenacius loco hæreat, quàm ut in alium locum ſe trahi patiatur, tumori ſtatim cucurbitula magna cum multa flamma per horam unam imponatur, crebroq; avulſa iterum affigatur, ſine ulla cutis inciſione, tandem poſt avulſam cucurbitam ſequentium cataplaſmatum maturantium & attrahentium unum calidum ter quaterve per horas VI. imponatur, ſubindeq; renovetur.

Cataplaſma pro translocando bubone.

℞. *Rad. Raph. Scroph. ana* ℥ II. *ſalis* ʒ. VI. *Saponis nig.* ℥. I. *Fermenti acerr.* ℥ I. ſ. *cum aceto ſufficienti concoquantur contuſa & in catapl. formam redigantur,* per duplicatum linteolum extenſa, tumori imponantur. Poſt horas autem ſex, remoto *catapl.* rurſum cucurbita imponatur, cutisq; totius Tumoris altius ſcalpello convulneretur, & ſanguis venenatus tamdiu eliciatur, donec nihil amplius ſanguinis profluat. Poſt ſanguinis evulſionem iterum aliud ſequens cataplaſma maturativum & attractivum per noctem imponatur ſæpiusq; renovetur calefactum.

℞. Cæpam

℞: *Capam grand.* cujus interna medulla excavetur, ejusq; cavitas *Theriac. Andr.* repleatur & aut linteolo aut lino madido involuta in ferventibus cineribus ad mollitiem usq; concoquatur, quæ deinde contusa in pultis formam redigantur, ac tandem *pulmenti Avenac. in aceto coëti admisc.* ℔ *catapl.* Aut.

℞. *Farin. sem. Lini. fænug. Pulv. rad. Alth. ana* ℥ I. *Rad. lil. Alb. Scroph. ana* ℥ ß *contundantur omnia & cum q. s. Aceti decoquantur.* ℔ *cataplasm.*

Cataplasma valdè maturans.

Aut ℞. *Cortic. Med. Sambuci M. ij concisæ coquantur cum flore lactis, Quibus contusis admisc. fermenti æ. p.* ℔ *catapl. quod mirum in modum maturat & attrahit.*

Aut ℞. *Radic. Symphit maj:* conterantur inter duos lapides & tumori cataplasmatis modo imponatur, altero die nulla expectata ampliori maturatione, ipse tumor in inferiori parte, aut candenti auro altiùs inuratur, aut novacula incidatur, aut grandi scalpello perfodiatur (cavendo tamen ne nervus subjectus ulla ratione lædatur) ex quo & sanguis & venenata sanies exprimatur & mundificetur, vulnusq; apertum eò usq; retineatur, donec omne venenatum pus fuerit expurgatum, subinde imponendo Empl. mundificativum, quale est hoc sequens.

Mundificans.

℞. *Terebinth. cum aq. Scordij elotæ* ℥ I. *Mellis rosac.* ℥ ß. *Misc.* ℔ *Empl.* Aut

℞. *Medullæ panis Silig. in lacte maceratæ uvarum passar: seminibus seu acinis evulsis, Ficuum ping. ana* ℥ I. *coquantur in q. s. cerevisiæ, quibus addantur butyri sine Sale pro arbitrio, & redigantur in formam Catapl.* Emollit enim & mundificat egregiè. At si Tumor adhuc durus est & callosus, emolliatur *Empl. Diachyl:* aut imponatur *Empl. ex Gum. Galbano Ammonia. & Serapino ana* ℥ ß *in aceto liquef.* compositum. Id quoq; pro Naturæ miracu-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728449757/phys_0156
DFG

culo haberi debet, si quis *Bufonem terrestrem* (venenatum animal) ligneo cuspide transfixum sub dio exiccavit, siccatumq; tempore Pestis per noctem in aceto maceravit, tumoriq; aperto vel carbunculo imposuit, omne contagij venenum ad se trahere & hominem certo præsidio à periculo pestis liberare. Porrò delicatiores, quales sunt virgines Fœmellæ & pueri, qui nec ustionem nec incisionem tumoris tolerare queant, ijs *Empl. cutem rumpens* imponi tumori debet, quale est. *Attractivum ex bufone.*

℞. *Ammon: Bdellij Sagapen. ana* ʒ. ſ. *colliquefiant in pauxillo aceto, ut fiat similis pulti, Quibus admisc. acrij fermenti* ʒ j *pul. rad. Piretri, Sem: Sinapi ana* ʒ. ii. *Euphorb. castor ana* ʒ ß. *vitrioli. Ro.* ʒ iii. *Cantharid.* ʒ ii. *Misc.* ft *Empl.* quod per linteum extensum Buboni imponatur, sed quia hoc empl: adurendo dolorem excitat, sequens sine dolore cutem perrumpit & dolores aperit. *Rumpens.*

℞. *Sem. fœnugr ec. Lini ana.* ʒ ſ. *contusa macer. in pauxillo aceto vini donec* ft *crassa mucago, quæ per rarum linteum transigatur, cujus* ʒ ſ. *Admisc.* ʒ j. *fermenti acerr. & pul: canthar.* ʒ ii. ft *catapl.* & imponatur tumori per noctem. *Dolorem mitigans.*

CARBVNCVLVS PESTILENS
Quomodo tractandus & curandus.

ANthrax est pustula fervens instar igniti carbonis adjacentem carnem & cutem adurens, exedens, exulcerans & crustam generans (eine Fewrblase oder brandige Pestilenzbletter nostrates vocant) qui colore quanquam rubeus est & minus periculosus, nonnunquam cinericeus & niger, pernicios; & omnis carbunculus per carnosas partes erumpit. Carbunculi qui circa cordis regionem *Carbunculus quid.* *Prognost.*

Cautio. erumpunt pernitiosi sunt, Deinde qui circa Epar & circa Orific: ventriculi nec illi periculo carent, qui in collo enascuntur, Minus autem periculosi sunt, qui in cruribus, Brachiis, aut natibus proveniunt. Cavendum est sedulò, ne refrigerantibus remediis impositis carbunculi ad interiora repellantur, aut eorum eruptio impediatur, sed semper attrahentia & venenum elicientia imponantur.

Proba sanabilis aut lethalis carbunculi. Exploraturus utrum sanabilis aut lethalis sit carbunculus *Empl. ex molli Gilbano imposito*, quod si ulceri tenacissimè adhæreat, ut non nisi cum crusta revelli valeat, salutis spes est, si eidem non adhæreat, incurabilis & utplurimùm lethalis est.

Similiter si *Empl. ex Ther. Andro.* carbunculo imponatur, & ipsa Theriaca super carbunculum citò exarescat aduraturq;, & Anthracis constitutio à Theriaca nihil immutetur lethaleque signum est.

Sectio periculosa. In curatione pestilentis carbunculi frustra & non sine periculo sectio tentatur, ipsum tamen auro candenti inurere utilissimum esset. Quod si nec id fieri liceat, statim in initio Cucurbitula magna pustulæ imponatur, & altius scalpello scarificetur, virusq; pestilens eliciatur.

Maturativum & attractivum. Post sufficientem scarificationem sequens ex fuligine Emplastrum quod mirificè & venenum elicit & maturat, & putrida à puris partibus separat, crustamq; aufert imponatur, cujus parandi ratio hæc est.

℞. *Ther. Andr. Mithrid. opt. ana* ʒ II. *Terebinth. in suc. aut aq. Scord. elotæ* ℥ ʃ. *Mellis rosa.* ʒ III. *Buty. rec. sine sale,* ℥ ʃ. *salis torrefacti.* ʒ II. *Fulig. (quæ fumus est in caminis concretus)* ʒ V. *saponis nig.* ʒ VI. *Vitell. ovorum* N. O. *j. contundantur & subigantur omnia diutiß.* ℞ *Empl.* Maturat quoq; Carbunculos doloremq; in eis mitigat sequens *Epithema.*

℞. *Albu.*

℞. *Album. ovorum* No. III. In quibus resolvantur ʒ III. *Epithemæ*
Alum. crudi. & simul diutissimè concutiantur in spumamq; *mitigans.*
redigantur, quæ linteolis excepta carbunculo imponantur, & arefacta lintea subinde renoventur, Idem præstat & maximè mundificat sequens Ltm. linteolis exceptum & carbunculo impositum, sæpeq; renovatum.

℞. *Terebinth. in aq. Scord. lotæ Mellis Rosa, ana* ʒ. ſ. *commiſc.* *Linimentum*
Simpliciora sunt & pauperibus magis obvia. non minus tamen in maturando attrahendoq; & mundificando carbunculo efficacia hæc quæ nunc ponimus.

℞, *Ovi luteum, cui admiſt. ſal torrefactum pro arbitrio & parum fellis bovini, Ex quibus* ft *Ltm.* Aut:

℞. *Pomum Arantium* per medium divisum & utramq; partem circa medullam *Ther. Andro.* infarctum, quæ iterum conjunctæ in linum madefactum involvantur, & sub cineribus ferventibus ad mollitiem coquantur & Anthraci imponantur. Aut pauperiores *Cynoglossam herbam* aut *Rad. Consolid. maj.* aut *scabiosam* inter lapides contusam, Carbunculo imponant sæpiusq; immutent. Similiter *triticum* ab homine sano & adhuc ieiuno existente commasticetur, & instar Emplastri carbunculo imponatur. Maturat enim egregiè & dolorem mitigat, Specifica virtute carbunculum extirpant, & virus eliciunt *fol. uvæ lupinæ* quæ *Aconithum* est *Græcorum.* Est autem *Aconithum* herba unico caule, 4. fol. è regione sibi ipsis instar stellæ posita *Specifica.*
habens & in summitate unicum nigerrimum fructum ferens, Unde nostris ein Bärenkraut/ aliàs *Herba Paris* dicitur.
At bufo exiccatur & in aceto maceratus Carbunculo im- *Bufo.*
positus in Veneno eliciendo reliqua omnia superat. Ne autem carbunculus latiùs serpat, & adiacentes partes a-

durat & inficiat sequens defensivum Ltm. circumquaq; per ambitum Anthraci illiniatur, cavendo ne eo Anthrax attingatur.

Defensivū. ℞. *Boli Armē. tenuiss. contriti ℥ ii cum q. s. ol. Rosa. in plumbeo mortario exactè commiss.* & in unguenti crassioris formam reducantur. Crusta carbunculi Butyro non salito inungatur, donec, sine dolore detrahi & adimi queat. Detracta crusta superioribus recitatis remediis facilè mundificari, & *catapl.* ex fuligine persanari potest. Si impura & superflua caro ex ulcere carbunculi pronasci deprehendatur, extirpari debet, vel *unguento Ægypt.* aut *Rad. Ranunculi* quæ & *flammula* dicitur contusa & impositа. Verò in curatione tum Bubonum tum carbunculorum pestilentium, studiosè cavendum est, ne vel sanies virulenta aut *catapl. Empl.* & alia remedia ab iisdem sublata ma-

Observatio nibus contractentur, ac pedibus conculcentur à quovis, sed statim aut in fluvium projiciantur, aut in loca solitaria deportentur ac sepeliantur. Facillimè enim suo contactu & Venenata contagione homines inficere possunt. Plura vide in Chirurgia nostra.

Æstus. ## ÆSTVS FEBRILIS INFECTORVM, quibus remedijs curandus.

PEstis per se, ut diximus, morbus est, & quidem ut *Hippocrates* vocat, divinus, & ut *Galenus* ait, ex omnipotenti causa ortus. Febris autem est perpetuum accidens pestis, Ideo Medici Pestem inter Species febris retulêre. Pestilens autem febris aut est mitissima, aut sæva & pernitiosa,

sitiosa. De Febrium curatione in Superioribus tradidimus; ipse autem in infectis æstus Febrilis reliquias habet, & inflammationem circa præcordia sentiunt, Quod Symptoma infectorum sequentibus remediis extingui & mitigari potest. ℞ *Syr. Acetos. Citri* ℥ II. *Aq. fragorum aut Card. Benedict.* ℥ VI. *Misc.* ac crebrò bibenda offerantur, aut subinde bibat æger *lac exseminibus frig. maj. cum aq. Cichor. confectum*, aut bibat crebrò *aquam hordei*. Foris autem Spina dorsi & Hypochond. sequenti Linimento inungantur. *Julapium.*

℞ *Ol. Rosa. Viola. Nymph. ana* ℥ II. *Mucag. ex sem. Citon: & Psyllij factæ* ℥ I. ſ. *Cera parum* ſ℞ *Ltm.* Æstum febrilem semper comitatur sitis & Linguæ ariditas; sitim sedat *succ. Arantiarum Syr. è citro, Rob. è ribes* linguæ illita, aut *Tamarindi* fructus in ore retenti. *Linim.*

CAPITIS DOLOR IN PESTE AFFECTIS *quibus remedijs curandus.*

CApitis dolor in Peste infectis provenit ex venenatis & calidis halitibus, ad cerebrum delatis, qui vix in totum tollitur, donec causa evaporationum non evacuatur. Supprimit tamen vapores ad cerebrum adscendentes creber usus *Syr. Viol. cum aq. Cichor.* mixti, & mitigat dolorem sequens Epithema capiti impositum. *Capitis dolor.*

℞ *Aq. Rosa.* ℥ VI *Aceti rosa.* ℥ II. *Albu. ovi. concuss. No. II. commisc.* & duplicatis linteolis excepta capiti imponantur. *Epithema.*

DORMIENDI CVPIDITAS SIVE *Somnus profundus in infectis quibus remedijs discutiendus.*

Cupiditas dormiendi

SOmnus & dormiendi cupiditas in Infectis provenit ex crassis vaporibus ad cerebrum delatis, & venas arteriasq; soporales *Carotidas dictas*, obstruentibus, qui discuti debet lenifrictione Temporum cum linteolis calidis & odoratione acrium qualis est sequens nodulus. R. *Castor.* ʒ II. in syndone colligantur, & *in aceto vini forti* macerentur naribus q; ægri subinde olfacienda applicentur.

Odoriferum acre.

VIGILIÆ CONTINVÆ SIVE *Dormiendi impotentia in Peste Infectis, quibus remedijs curanda.*

Vigiliæ.

COntinuæ vigiliæ & inquietudo oritur ex tenuibus acribus & calidis vaporibus ad cerebrum delatis, ibidemq; spiritus animales turbantibus. Infectis itaq; inquietudine laborantibus somnus est conciliandus, somnum verò conciliant, si vesperi crura, pedesq; & brachia ac manus lavantur *in aq. cal.* in qua sunt incocta *fol. salicis, Malva, Lactuca, Rosæ, fl. Cham. ac capita Papa ana ad placitum*, id si peragere non liceat, temporibus imponatur, atq; Saturæ coronali sequens Epithema: R. *Sem. Papa albi* ʒ *j. Nucl. persic* ʒ ß quæ minutiss. conterantur in mortario, eisq; admisc. *album unius ovi, Aq. Ros.* ʒ II. *Solani Lactucæ & Aceti Rosa. ana* ʒ *j.* Diu agitata & subacta linteolisq; duplicatis excepta imponantur.

Epithema pro capite.

NAV-

NAVSEÆ & VOMITIONES IN Peste affectis quomodo & quibus remedijs curandæ.

NAusea & vomitio in Peste excitantur à venenata colluvie in ventriculo collecta. Vomitiones non sunt temerè sistendæ, nisi prius omnis colluvies per vomitorium hausti probè sit eluta, in quem usum, ut supra diximus, plurimum facit, si exhibeatur hausto ægro *liquoris aquosi ex gr: Juniperi per descens. in pelvi destillati.* Aut haustulus *aceti & aq.* simul mixtorum, in quibus per noctem simul macerati & manè incocti cortices rad. Jugland. Post detractam per vomitum colluviem, statim vomitum sistunt 2. aut 3. *Cochl. vini* in quo cocta sunt *Carioph. Masti. ana* 3. ß. *Ros. sic. p. j.* Ventriculus autem foris inungatur *Ol. Rosa. aut Masti.* ac post inunctionem *Lamina panis tosta & cal. cum aceto vini aut rosa. irrigata & cum Pulv. Mastich. & Carioph. conspersa.*

Vomitus.

Prognost.

Vomitum sistens.

ALVIFLVXIO IN INFECTIS quomodo Curanda.

UT nec vomitum temerè sistendum esse diximus, ita nec alvi fluor, si non inferat virium sensibilem prosternationem restringi debet, quia per alvi fluxionem venenata ac putrida colluvies ex intestinis & Venis Mesaraicis evacuatur. *Nigra alvi fluxio lethale est signum.* Verùm si vires per egestionem continuam debilitentur & per se non subsistant, utendum crebrò est Patienti *Prunellis Sylv. Sacch. conditis & lacte Amigd. cum aq.* in qua extinctum sæpius sit ferrum candens. Conducunt & lutea ovorum dura ac in aceto macerata. *Aut:*

Alvi fluxus.

℞ *Sem. Sanguinariæ 3 1 Nucis Moschatæ, Carioph. ana 3 ß pulverisata commisc. cum ovi vitello,* & in focum ferventem ab igne & cineribus purgatum adfundantur & in placentulam pinsentur & ægro comedenda per duas vices præbeantur. Sanguis quoq; leporinus exiccatus & 31 cum *vino rub.* exhibita potenter alvum sistit, Aut 31 sequentis pul: exhibita.

Placenta alvum sistens.

Sanguis leporinus præsertim si captus sit in Martio.

℞. *Boli Armen. Acatiæ vulgaris. Coral. rub. pp. ana ℈ j. Misc. ff pul.* ventri imponatur *Catapl. ex far. fab. albu. ovorum & pauxillo aceto confectum.*

ALVI SVPPRESSIO INFECTORUM Peste, ut solvenda ? ?

Alvi suppressio.

TOTO morbi tempore alvi suppressio noxia est propter virulentas exhalationes ad cor & cerebrum delatas, ex alvi suppressione ortas. Semper itaq; ut alvus lenis sit & laxa, enitendum est; & suppressio quidem alvi facilimè aperiri potest, aut leni Clystere aut glande, ex melle aut Sapone confecta, quæ superius annotata sunt, aut si febrilis calor abest imponatur umbilico *Fel Bubulum*, cui nonnihil *Aloës & Salis* est admixtum, lino aut Stupa exceptum.

Fel Bubulum.

SANGVINIS E NARIBVS EFFLVXIO IN PESTE AFFECTIS quomodo sistenda ? ?

Prognost.

NOnnunquam erumpit Sanguis ex naribus infectorum, plerumq; in plethoricis & mulierculis menses suppressas habentibus. Post sanguinis eruptionem si nihil leva-

levaminis sentiat æger, lethale est signum. Sistitur autem sanguinis eruptio hisce sequentibus. Fronti applicentur Rosæ, quæ in acet: Rosa: servantur expressæ, aut macerentur rosæ sicc: in acet: & linteolo fronti constringantur & alligentur. Lanugo sive Papulæ in capitibus Card. Bened. repertæ & convolutæ naribus inditæ sistunt sanguinis fluxum. Similiter si auricularis digitus ejus lateris ex quo sanguis erumpit, dolorificè constringatur vinculo, statim sistitur sanguis; Sed his magis præstat Ranæ palustris in ollula crematæ cinis instar noduli in Syndonem colligatus & naribus insertus. *Hæmorrhagiam sistentia.*

SVSPIRIA AC RESPIRATIONIS DIFFICVLTAS IN PESTE AFFECTIS *quibus removenda remedijs?*

Difficultas & respirationis & suspirij & oscitationis & eructationis in Peste infectis provenit ex crassis vaporibus vel diaphragma opprimentibus, quod ex gravitate Hypochondriorum deprehenditur, Aut thoracis cavitatem replentibus, cujus indicium est tussicula sicca, Aut capsulam cordis occupantibus, id quod ex palpitatione cordis dignoscere licet, tumq; præstat, ☽ ♄ ol. vel Anisi vel Angel. vel cimini cum tribus cochleariis vini aut aq. Card. Bened. exhibere; Hæc enim per eructationem expellunt crassos vapores. Similiter & cortices Arantiarũ condit. commestæ, aut radix Zedoariæ commesta ac deglutita. Extenuant enim & discutiunt crassos vapores, & organa respirationis ab impedimentis omnibus liberant. *Respirationis difficultas.* *Remedia.*

SECTIO QVARTA.

DE CVRATIONE SYMPTOMATUM FEBRILIUM.

Quæ Symptomata comitentur Febres.

Febrium Symptomata.

SYmptomata sive Accidentia febrium sunt affectiones non per se seu à causis morbificis ortæ, sed ex aliis antecedentibus morbis genitæ. Nulla Febris est quæ non alia Symptomata molestaq; accidentia secum trahat. Etsi autem regulare est, morbum prius esse curandum, quàm ejus Symptomata, fittamen interdum symptomatum ut neglecto morbo Medicus cogatur statim in initio ad curationem accedere. Sunt autem præcipua Febrium Symptomata.

I. RIGOR.
II. ÆSTUS VEHEMENS.
III. CAPITIS DOLOR
IV. SITIS.
V. ARIDITAS LINGUÆ.
VI. SOMNUS PROFUNDUS.
VII. VIGILIÆ CONTINUÆ.
IIX. DELIRIUM.
IX. SANGUINIS E NARIBUS ERUPTIO.
X. RESPIRATIONIS DIFFICULTAS.
XI. VENTRICULI DOLOR.
XII. APPETENTIÆ PROSTRATIO.
XIII. VOMITIO.
XIV. JCTERITIA.
XV. ALVI OBSTRUCTIO.

XVI. AL-

XVI. ALVI FLUXIO.
XVII. SUDORIS IMMODERATA PROFUSIO.
XIIX. ANIMI DELIQUIUM.
XIX. TUMOR PEDUM.
XX. RECIDENTIA FEBRIS sive RECIDIVA.

Horum Symptomatum nudam tantum medicationem breviſſimè ſubjiciam.

RIGOR FEBRILIS Quomodo CURANDUS.

FEbres communes utplurimùm cum rigore ſeu frigore invadunt: Rigor autem & frigus febrile, extenſione ac remiſſione tantùm differunt. Rigor enim fortis eſt frigiditas, in qua membra concutiuntur. Frigus autem eſt, ubi extremitates partium manuum ac pedum, Digiti, Naſus & Spina dorſi tantum refrigerantur. Uterq; autem oritur ex fumoſis vaporibus à cordis inflammatione ad carnoſam membranam propulſis, ibiden q; refrigeratis, quæ ubi flamma è corde tanquam clibano erumpit, eos diſcutit & extinguit, rigoremq; ſiſtit, & immenſus æſtus ſubſequitur; Rigor moleſtiſſimus eſt, & in Quartana ac Quotidiana Febre. *CURATUR FRIGUS febrile* confricatione partium refrigeratarum cum pannis aut linteis calefactis, & tegumentis concalefactis corporiq; impoſitis, In Rigoris initio utiliſſimè exhiberi poſſunt, ℥ j. ß. *Ther. Andro. cum* ℥ ij *aq. Juniperi cremabilis*, Foris autem prodeſt, inungere ſpinam, paulò ante Paroxyſmũ vel *ol. Chamæm. vel Anethi vel Rutæ*, cui momentum *aq. Junip.* aut *vini* ſit admixtum, Poros enim aperiunt & craſſos va-

Rigor.

Cura.

Remedia.

pores extenuant, & membranas musculorum molliter calefaciunt. *Sed rarò admittitur Rigoris curatio.*

ARDOR SIVE ÆSTVS FEBRILIS quomodo curandus.

Æstus. Æstus sive ardor in Febribus est ipsa Forma Essentialis Febrium. Æstus ut plurimùm rigorem subsequitur. Nulla re citius restinguitur calor Febrilis atq; finitur, quàm abstinentia Potus in ipso æstu. Bibere enim in Paroxysmo est frigidissimam aquam in silicem aut candens ferrum affundere; Remedia æstum febrilem mitigantia sunt Syrupi refrigerantes, quales sunt *Viol. & Citri acid. & è succ. Granatorum*, quorum ʒi admisceri possunt ʒii *aq. Card. Bened.* & in febrili ardore crebrò Cochlear pro vice haurire. Quin & sequens haustulus mirificè extinguit æstum Febrilem.

Julapium. N. ℞ *Julapij vel Syr. Viol.* ʒIIII *Aq. Rosa.* ʒ II *Aq. Jun. cremab.* ʒi *ol. vitr.* ℈ß *Moschi gr. ii Misc.* ℔ *potio*, cujus cochlearis mensura subinde assumatur. Foris autem ante Parox. spinam dorsi & Hypochond. inungere utilissimum est sequenti Linimento, quod extinguit Æstum Febrilem.

Topica. ℞ *Ol. Ros.* ʒß *Nymph. Citon. ana* ʒ ii *Mucag. ex se. Citri & Pfyll, cum aq. Rosa. factæ* ʒ i ß *ceræ candidæ q. s.* ℔ *Ltm. Cui admisce momentum Aceti Rosar.* cordi vero Epati & carpis manuum imponatur sequens *Epithema* in æstu Febrili.

Epithema. ℞ *Aq. Rosa.* ʒiii *Lactucæ Borrag. ana* ʒ ii *succ. semperviv. maj.* ʒiß *Aceti Rosa.* ʒj *Sp. Diatrion: Sandalon* ʒ ii *Misc.* ℔ *Epithem.*

Quod

Quod duplicatis linteolis exceptum imponatur. Abstrahit quoq; æstum Febrilem à partibus Principibus *Tinca piscis si viva* sub plantis pedum donec sponte emoriatur, ligata fuerit. Idem præstat si carpis manuum *Bursa pastoris cum rad. contusa & Aceto rosæ conspersa instar catapl.* imponatur.

CAPITIS DOLOR IN FEBRIBVS quomodo curandus.

DOlor capitis in febribus à calidis & acribus vaporibus ad cerebrum delatis, ejusq; temperiem turbantibus excitatur. CURATIO ejus requirit 1 Putridorum humorum in quibus accensa est febris artificiosam evacuationem, sive id fiat per venæ sectionem, sive per purgans medicamentum, sive per Enemata, quorum omnium utendi ratio in febrium curationibus est descripta. Hoc loco Topica tantùm pauca subjiciam, in quibus nobile est sequens Ltm. *Capitis dolor.*

℞ *Ol. ex fl. salicis, Nymph. Viola. ana* ʒ ii *Ceræ albæ q. s.* ft *Ltm, Eluatur cum aq. Rosa.* eoq; inungantur Tempora & futura Coronalis, Aut imponatur sequens Epithema.

℞ *Aq. Rosa.* ʒ iii *Aceti Rosa.* ʒ i *Aq. fl. Sambuc. & suc. semper vivi ana* ʒ j *Albu. j. ovi concussa* & stupa excepta ac potissimùm Coronali futuræ imponantur. *Cucum. condit. ex frigidiss. aq. elotæ* & in latas laminas concisæ frontiq; & Temporibus impositæ capitis dolorem tollunt.

SITIS IMMODICA IN ÆSTV FEBRILI quomodo restinguenda.

Siti. *Prognost.* Sitis in febribus est soboles æstus. Sitis vehemens cum ariditate & nigritiæ linguæ si repentè & spontè cesset, lethale est signum. Sitis in febribus post somnum cessans est salutare signum. In initio Paroxismi ab omni poto studiosè arcendi sunt ægri. In declinatione verò febris, si amplius sitim tolerare nequeunt, *largiss. haust. aq. hord.* propinare convenit; vel etiam puriss. ac frigidiss. aquã fontis scaturientis, quam si rursum evomat æger, salvares est, Omnis enim calor febrilis extinguitur, Interea autem sitis vehementia mitiganda erit suctione *suc. Arant. aut suc. granat.* aut crebra collutione oris *cum aq. frig. cui parum aceti sit admixtum,* aut retentione & commasticatione in ore *fructuum Tamarind. aut uvarum pass. in aceto maceratarum, aut saccha. cand. cum suc. viola parati,* aut quod in *Syr. Viola.* concrevit. Gustare quoq; crebrò utilissimum est *Syr. Citri acidi,* sive per se, sive cum pauxill. *aq. Fragor. aut Viol.* commistum. Aut lambendo sæpè intra os assumat *Rob. è ribes.* Aut:

Julapium. ℞ *Syr. acidi citri* ℥ j *Suc. Citri* ℥ ß *Aq. Card. Bened.* ℥ III. ft *potio* de qua sumat crebrò 1. cochlear. mensuram, aut bibat in ipsa declinatione Febris *aquam Hord.* quæ hac ratione parari potest:

℞ *Hord. mundati M. u Uvarum pass. mi. M. j Se. Anisi* ℥ *in Cinamo. Glycer. rasæ ana* ℥ *ii.* Excepto hordeo, reliqua contundantur & cum aq. ℔ 4. in cantharo fermento oblinito & in ahenum aq. plenum collocato, per 11 horas coquantur.

ARI-

ARIDITAS SCABRITIES NIGREDO ℔ LINGUÆ IN FEBRIBUS ut curanda.

IN ardentibus Febribus exarescit Lingua & exusta scabra fit & fuliginoso vapore imbuitur atq; nigrescit, Tale Symptoma vulgus die Breune vocat. In curatione ardentis febris & hujus Symptomatis magna est habenda ratio, ac primum quidem prodest venam utramq; sub lingua sitam incidere, deinde os *aq. Hord.* tepida colluere, moxq; omnem scabritiem & sordes vel ferrea furcula vel ex ligno saliceis facta aut argenteo cochleari abradere & emundare oportet, rursumq; colluere, cum *aq. Stillat. vel Fragor. vel fl. prunell. vel aq. Prunell. herbæ*, aut decocto *cort. rad. Prun. Sylv.* ac tandem inungenda est lingua pauco *melle rosa. cui ol. vitr.* sit admixtum. Hæcq; omnia sæpe per diem sunt molienda, sæpeq; confricanda lingua, aut aspero panno, aut *fol. Salviæ* in aceto madefactis. Si verò rursum arescat, subinde inungatur sequens mucago.

Lingua arida nigra scabra.

Remedia.

℞ *Se. Citon* ℥ß *Se. Psyll* ℈ j. *contusa macerentur in* ℥ ii. *Aq. Rosa. donec crassa mucago efficiatur, quæ per rarum linteolum cernatur, cujus* ℥ j *admisc.* ℈ j *ol. vitr. & Sacchar. Candi in Syr. Viol. concreti* ℥ ſs *Lambile.*

SOMNUS PROFUNDUS SIVE SOPOR CONTINUUS IN FEBRIBUS Quomodo CURANDUS.

SOmnus profundus in Febribus generatur ex crassis vaporibus ad cerebrum delatis, ibidemq; refrigeratis

Sopor.

&

& nervorum meatos leniter obsidentibus. In profundo somno si excitati absurda loquantur, nec paulò post ad se redeant, aut ubi somnus in febribus laboriosus est id est ubi expavescentiam & tremorem infert lethale est signum, juxta illud *Hipp. 2. Aphor. 1. In quo morbo somnus laborem facit mortale est, si verò juvet non mortale.* Somnus in declinatione Paroxismi ubi calor jam evanescere incipit, salutaris est.

Prognost.

CURATIO soporis seu somni profundi in febribus est, ut æger crebrò excitetur, & suavibus confabulationibus à sopore avocetur, & ut caput leniter calefactis linteolis confricetur, nimirum ut vapores crassi extenuentur ac discutiantur. Naribus autem in somniculosis nodulum admovere ex *Castor.* in Syndonem ligato confectum & *in aceto acerr.* maceratum, aut *succ. rad. Fœnic:* naribus oblinire utilissimum est.

Vigilijs in Febribus quomodo medicandum.

Vigiliæ. VIgiliæ continuæ in Febribus facilè turbant Rationem & vires prosternunt propter calidos & siccos vapores ad cerebrum delatos idq; mordicantes; Somnus itaq; conciliandus primo quoq; tempore erit. Somni itaq; tempore in tenebroso loco detineatur æger & silentium imperetur, ac intra corpus haustulus *lactis ex seminibus Papaveris albi cum aq. Lactuc. confecti* exhibeatur. Foris autem temporibus & futuræ coronali imponatur sequens Epithema.

Emulsio.

℞ *Se. Papav. albi* ℥j *Nucl. Pers.* ℥ ß conterantur tenuissimè

simè eisdemq; admisc. *albu. j. ovi. Aq. Rosa.* ℥ ii *Aq. Solatri Lact.* *Epith.*
Aceti rosa. ana ℥ j Diu agitata ac commixta linteolis duplicatis excepta applicentur. *Aut:*

℞ *Se. Papa. albi* ℥ j. *Coriand. pp.* ℥ ß *Se. Lactucæ* ℥ ii *Santal. albi* ℥ i *fl. Ros. Viol. Nymph. ana M. j.* concisa & contusa insuantur raro linteolo ff sacculus capitalis, qui ambo tempora & futuram coronalem contegere queat, & irroretur *Aq. Rosa.* cui pauxillum *Aceti Rosa.* sit admixtum & capiti alligetur. Violenta somnifera, quale est *Opium & Mandragora* semper fugienda sunt, nisi extrema urgeat necessitas: Tumq; citissimè somnum conciliat sequens Ltm. temporibus & naribus illitum.

℞ *Opij Thebaici* ℈ ß *in aceto Rosa. ad ignem resoluti cui admisce unguenti popul.* ℥ i ff *Ltm.* *Linim.*

Delirium Febricitantium quomodo curandum.

IN ardentibus febribus ex calidis & mordacibus vaporibus cerebrum ferientibus, item ex capitis dolore, & continuâ vigiliâ sæpè turbatur ratio, ut æger absurda loquatur, sed discusso febrili calore & somno concepto, iterum placatur delirium; si verò cessante febre maneat mentis turbatio lethale est signum. Ideo studendum est, ut primo quoq; tempore in febrili delirio somnus concitetur; conciliandi autem somni remedia jam commemorata sunt; Nunc satis sit formulam sacculi subjecisse ad vapores è cerebro eliciendos & somnum conciliandum, quæ sic habet. *Delirium.* *Prog.*

℞ *Fol. Lactucæ, salicis ana M. I. fl. Rosa. Viol. Nymph. ana M. ß. Capit Papa. albi cum sem. contus. M. I. Fol. Rorisma. Majora. fl. Chamæ.*

Sacculum. *ana P. 1. concid. & in sacculo oblongo*, qui & synciput & tempora obtegere queat, insuantur ac intersuantur ac tandem ebulliant in *aq. Rosa.* aut *aq. Simplici* & sacculus fortiter expressus calidus coronali suturæ imponatur.

Sanguinis è naribus in Febribus eruptio quomodo sistenda.

Hæmorrhagia. EX vehementiore Febrili calore fervet & extenuatur in corpore sanguis, & ab inflammatis spiritibus sursum per venas jugulares in cerebrum propellitur, indeq; per nares sæpè excernitur præsertim in Corporibus Plethoricis. Aetius utramq; & exiguam & immoderatam sanguinis è Naribus eruptionem in febribus malam esse dicit. Sanguinis autem è naribus immoderata fluxio, quæ die Critico id est die 4 aut 7 aut 14 ab initio febris accidit, salutaris est; eo enim capitis dolor cessat, & febris solvitur; Juxta *Hippocr. 6. Aphorism. 10. Caput dolenti & circumdolenti Pus aut sanguis è Naribus effluens salutaris est.* Ideò non temerè est sistendus sanguis, qui in crisi profluit, nisi fortè vires dejiciantur. At si extra κρίσιν sanguis copiosus erumpat, & nec capitis doloris, nec mitigatio febris effluxionem sanguinis sequatur, pernicioſum est, ideoq; omni curâ compescendum. Præterea sanguis è naribus manans, quantò rubicundior, eò melior, quantò nigrior, eò pejor existit; Salutaris quoq; est effusio sanguinis è naribus, iis qui in Febribus surdescunt, & mulieribus menses suppressos habentibus.

Prognost.

CURATIO fluentis è naribus sanguinis, consistit in sanguinis refrigeratione & condensatione, ea autem perfici possunt crebrâ exhibitione *Syr. & Aq. refrigerantium*, ut sunt

sunt *Syr. Viola. Syr. è Portulaca cum Aq. Plantag. aut Tormentillæ*, de quibus suprà in nostris curationibus abundè diximus, Ideo satis sit hoc loco pauca quædam Topica subjecisse, sedato calore Febrili si corpus est plethoricum vena secetur Epatica dextri lateris, aut aversionis ergo applicetur magna cucurbita dextro Hypochondr. sine tamen scarificatione. Collo imponatur *instar Epithe. aq. frigidiss.* cui pauxillum aceti vini est admixtum latis fasciis excepta, quibus venæ jugulares moderatè constringantur. Fronti imponatur sequens Epithema. L. V. S.

℞ *Aq. Rosa.* ℥ VI. *Aceti Rosa.* ℥ i *Albu. unius ovi simul concutiantur eidemq; admisc. pulv. Thuris & Boli Armeni. ana* ℥ ii ff *Epithema.*

In Masculis sanguine è Naribus erumpente si testiculi involvantur panno *in aceto Rosa. aut aceto vini imbuto*, statim sistunt eruptionem sanguinis. Auricularis quoq; digitus ejus lateris ex quo effluit sanguis si vinculo arctissimè constringatur, cessabit fluxio. Odor quoq; *aq. Rosa. in qua Camph. est resoluta*, linteolis excepta naribusq; admota sistit sanguinem.

Respirationis difficultas in Febribus ut removenda.

UBi in Febribus aut crassi vapores Thoracis cavitatem complent, aut vitiosi humores circa orificium Ventr. Diaphragma obsident, atq; gravant, Respirationis difficultatem & angustiam inferunt. *CURATUR hoc malum* remediis vapores crassos extenuantibus, & per eructationem discutientibus, aut per vomitionem humores gravantes evacuantibus. Resolvunt & discutiunt vapores *7 gutt. olei Cymin. aut ol. Anisi aut ol. Angel.* cum duobus cochlea-

Respirationis difficultas.

Medicamina Vomitum.

ohlearibus *vini* extra Parox. exhibitæ. Si circa orificium Ventr. tensio & dolor sentiatur, vomitus est irritandus ℥ V. *aquosi liquoris Juniperi per descensum destillati* exhibitione. Post vomitum verò corroborat ventr. *Ol. Vitr. si ejus gutt. 9. cum* ℈ *Cochl. vini* exhibeantur, similiter plurimùm facit ad respirationis difficultatem aq. Juniperi per ascensum destillata & cum *Sacch. cand.* concremati, si ejus cochlear. II exhibeantur, Idem præstat & commestio ac deglutitio *rad. Zedoar.* Foris autem utilissimum erit præcordia *ol. Mentæ & ol. Anethino* inungere, & hæc omnia extra Paroxysmum sunt molienda.

Linim.

Ventriculi dolor in Febribus ut mitigandus.

Dolor ventriculi.

VEntriculus sæpè dolet in Febribus aut ex colluvie pituitosa in eo coacervata, aut ex flatulentis vaporibus ipsum distendentibus. CURATUR evacuatione per vomitum haustis *liquoris aquosi Juniperi per descensum destill.* ℥. 4. aut haustu *vini* assumpto in quo *cortices rad. Jugl. arboris* per noctem sunt macerati & ebulliti. Si flatulentis & crassis vaporibus distendatur Ventr. tum exhibendæ sunt *7. gutt. aut ol. Cymini aut Angel. aut Anisi aut Absinth.* destillati, ut paulò ante de difficultate respirationis removenda, à nobis dictum est. Imbecillem ventriculum habentibus post Paroxysmum & caloris febrilis remissionem *panis lamina tosta* & in vino cretico sive alio generoso macerata utilissimè devoranda exhiberi potest. Uole quoq; est *Cort. Arant. condit.* sæpe gustare, & ♃ *ol. vitr. cum haustu vini* mirum in modum corroborat ventriculum, Febrim extinguit, ac pituitosam materiam absumit; Foris verò inungatur

Vomitus.

Orifi-

Orificium Ventr. Si æstuet *ol. Rosa. è Mastiche & Ol. Nymph. ana* ℥ ii *simul mixta*; Si verò absit calor inungatur *ol. è Menta & Absinth.* Flatibus referto ventr. imponatur pannus madefactus *in decocto Mentæ Rutæ & Chamæ. & sem. Cimini cum vino*, sed extra æstum Febrilem. *Externa.*

Appetentiæ prostratio in Febribus quomodo restauranda.

EXceptâ Quartanâ Febre in reliquis omnibus semper prosternitur appetentia cum propter imbecillitatem Ventr. tum propter Epatis præternaturalem calefactionem. Appetentiæ refectionis in Febribus diligens est habenda ratio, longa enim inedia extinguit vires & augetur putrefactio & calor præternaturalis. Non ergo omnia vitanda sunt in Febri quæ æger appetit, sæpissimè enim ea quæ appetit æger & famelico sunt vetita, avidiùs assumpta salutem attulerunt. Quæ enim cum aviditate & voluptate assumuntur, ea facilè à Natura alterantur. Ideò rectè monet *Hippocr.* ubi inquit: *2. Aph. 38. Parum deterior cibus & potus, suavior tamen, melioribus & minus salubribus est anteferendus.* Item *2. Aphor. 50. Consueta etsi paulò deteriora salubribus insuetis, tamen præferenda sunt.* Id tamen studiosè adnitendum est, ut causæ prostratæ appetentiæ, sive sint humores vitiati in ventr. sive in Epate, sensim subtrahantur, & vis eorum viscerum subinde corroboretur. Porrò appetentiam excitant sua Natura omnia acida, qualia sunt alimenta *cum aceto vini* aut *uvis immaturis* cocta. Confert quoq; plurimùm in restauratione appetentiæ *Diacitoniton simplex ex succ. Citon. & Sacch. confectum.* In pro- *Anorexia. Acida appetitum excitant.*

ſtratione appetentiæ varia fercula, pro cujusq; Palati arbitrio ingeniosè ſunt excogitanda, & crebrò ægris offerenda. Alij enim acidis magis, alij dulcibus delectantur. Ubi verò æger omne repudiet alimentum, tum nutriendus eſt per inteſtina, infuſo nimirum per Clyſterē *jusculo Caponum aut carnium & luteorum ovorum, cum lacte Amygdalino mixtorum* & ſimilibus alimentis. Ex alimentis enim in inteſtinis exiſtentibus Venæ Meſaraicæ benigniorem partem exugunt, & ad Epar ſanguinis officinam deferunt, verùm ſemper inteſtina antea per convenientem Clyſterem à fecibus evacuanda ſunt.

Enemata nutritia.

Observatio.

Vomitio immoderata in Febribus ut ſiſtenda.

Vomitus.

VOmitio eſt actio ventr. qua putridam colluviem in ſe contentam exonerare conatur. Vomitus non prius eſt compeſcendus, donec noxia colluvies omnis probè ſit evacuata. Si enim ante vitioſorum humorum evacuationem ſiſtatur vomitus, laborem & anxietatem infert; Nec critica vomitio, quæ circa 4 aut 7 aut 14 diem accidit eſt ſiſtenda, utplurimùm enim magnum adfert levamen. Primum itaq; antequam ſiſtatur vomitio continua, exhibeatur ægro hauſtus vomitorius, videlicet hauſtus aq. calid. cui ſalis nonnihil ſit admixtum, aut hauſtulus *aquoſi liquoris Juniperi* aut vini in quo *Cort. Jugl.* ſunt incocti, de quibus antea diximus; & fiat vomitio ante Paroxiſmum. Ac ſi neq; tum ſpontè ceſſet vomitio, ſciendum erit colluviem internæ Tunicæ Ventr. imbutam eſſe, atq; tum præſtabit alvum ſubducere cum *Diaphœn: & Hyer. ſimpl. ana* ℥. IV. *In* ℥ 4 *aq. Abſinth.* ſolutis. Tandem ſi corpus ſit conſtrictione & prohibitione vomitus.

quid agendum?

R.

℞ *Carioph: ʒ ß. Maſti. ℈j. Roſ. rub. p. i.* conciſa coquantur in ollulâ vitreacea & cooperta cum *vini rubei* ℥ VI. ad tertias, ac colentur, hujusq; liquoris menſura unius aut alterius cochlearis poſt aſſumptum cibum exhibeatur. Foris autem inungatur Ventr: ſi æſtuet *Ol. Roſa. & Citon.* ſi abſit calor *ol. è Maſtich. Nard. è Menta aut Abſynth.* Quin & corroborationis ventr. cauſâ foris imponatur *Empl. de cruſta Panis*, cujus deſcriptio extat in libris Pharmacopœorũ, quos Diſpenſatoria vocant. *Topicæ.*

Icteritia in Febribus ut curanda.

MOrbus Regius in Febribus Epatis inflammationem & Bilis ex propria veſiculâ in Epar regurgitationem meatusq; ex veſiculâ fellis in Inteſtina obſtructionem ſequitur; *Quibuscunq; in febribus ante diem 7. morbus regius accedat, eſt ſignum malum inquit Hipp. 4. Aph. 62.* Ita videlicet ſi nulla ſequatur materiæ expulſio, vel per alvum, vel per veſicam cum urina, vel per narium eruptionem, vel per ſudorem, quæ evacuationes ſi ſequantur Jcteritiam, non eſt pernitioſa, *Septimo die apparens Jcteritia quia eſt Critica, non poteſt eſſe mala*, poſt 7 quoq; diem, omnis Jcteritia in Febribus apparens, ſi non ſequatur expulſio excrementorum, mala eſt cenſenda. *Jcterus.* *Prognoſt.*

CURATIO Jcteritiæ peti debet ex ſuperioribus; quæ tamen non poteſt commodè adhiberi, niſi prius curata febre. Ceſſante Febri ſubducatur Bilis flava nodulo hunc in modum parato.

℞ *Rhab. ℈ ii Se. Aniſi ℈ ii* colligantur in Syndone contuſa & nodulus qui per noctem maceretur in Aq. Abſynth. ℥ IV. Altero die ebulliat, exprimatur & exhauriatur. *Remedia.*

riatur. Cessante Febri exhibeantur sequentes potiones manè ac vesperi ℥ v.

℞ *Rad. Chelido.* ℥ ß. *Asari.* ℥ ij. *Eragar. cum rad. Card. Bened. Centau. Min. Rorismar. ana M. S. Bacc. Juniperi* ℥ iij *Croci* ℈ j. concisa & contusa coquantur in *vini albi* ℔ ij in Cantharo probè obturato, & in aheno collocato ad ij horas *fiat potio.* Fœdum colorem cutis in Jcteritia tollit crebra lavatio cum aq. dicta in qua cocti sunt flores Chamæ. & Melil. In faciem autem & oculos quotidie bis excipiatur vapor *acerr. aceti* ferventis & evanescet flavus color. Interim & bilis flava *Rhab. infusione* subducatur, & Hypoch. præsertim dextrum sæpè *ol. Ros.* inungatur.

Externa.

Alvi obstructio in Febribus quomodo lenienda.

Obstructio alvi.

ALvus ob caliditatem & siccitatem febris præsertim in corporibus siccioribus constipatur atq; constringitur. Cum autem obstructiones alvi plures vapores ad cor & cerebrum sursum pellant, minimè ejus curatio negligi debet, sed statim vel eodem vel altero die glande *ex melle, Sale & pulv. Colocinth.* facto aut leni *Clyst.* aperiatur & leniatur. Clysteris formula talis esse poterit:

Clyster.

℞ *Malvæ. Mercu. viola. ana M. ß. fl. Chamæ. Anethi ana p. j.* concisa coquantur in jure pulli non saliti ad tertias, colati juris accipe ℔ j *ol. Chamæ.* ℥ iij. *Pulpæ Cassiæ* ℥ ij ℞ Enema, quod tepidum recto intestino infundatur. Qui Clysteris usum non ferunt, eis exhiberi possunt ℥ x *Pulpæ Cassiæ*, lenit enim & clementer subducit Alvum.

Alvi

Alvi fluxio in Febribus quomodo supprimenda.

Alvi fluxus.

ALvi fluxio & perturbatio in febribus si critica est, id est die critico 7 aut 14 aut 20. ab initio febris accidat, semper levamen morbi adferre solet, nisi modum excedat, ideò minimè supprimenda est. At verò si vires prosternat, & extra crisin eveniat, continuè supprimatur; Supprimenda quoq; erit si excrementum alvi nigrum est & vehementer fœtidum aut cruentum aut fæci simile, quod perpetuò perniciem significat. Antequam autem fluxio sistatur, & excrementum sit bilioſum aut nigrum, præstat ante suppressionem leni clystere elui Intestina, aut ʒ x *Pulpæ Cass.* Quo facto commodiùs alvus astringi potest. *Remedia.*

In fluxione alvi ægro alimenta offerantur constringentia & refrigerantia, in quibus optimum est *lac Amygdal.* quod cum *aq. Chalybeata,* vel in qua ferrum candens est extinctum sit paratum, & pulmenta ex *far. hord. aut faba.* cum lacte in quo candens ferrum sit extinctum. Potus verò conveniens erit cerevisia clara & antiqua, in qua macerata est *lamina Panis tosti cum Nuce Moschata* confricata. Remedium verò astringens tale exhibeatur.

℞ *Sem: Sanguinariæ Nucis Mosch: Caryoph. ana* ʒ *s* pulverisata misceantur cum unius ovi luteo & in ferventi foco ab igne & cineribus purgato infusa vel per laminam ferri calefactam posita in placentulam coquantur, quæ per duas vices ante aliorum ciborum assumptionem exhibeatur. *Vel:* *Astringens*

℞ *Gum. Arab. Spodij pp. Boli Arme. Acatiæ ana* ʒ ß *pulverisata*

commisc. & ejus ʒ. j. aut cum Syr. è Papav: aut cum vino rùb. exhibeatur.

Cataplasma ex limo ferri.

Foris imponatur ventri Cataplasm. calef. ex limo ferri, qui reperitur in fabrorum ferrariorum vasis, in quo candentia ferra extinguntur, cui & *far. fab.* commodè admisceri potest.

Sudoris crebra & immoderata eruptio in febribus quomodo curanda.

Sudor niminus.

Sudor est serosius excrementum massæ sanguineæ, quod per poros cutis excernitur. Contingit autem in febribus, ubi præternaturalis calor vitiosos humores in vapores resolvit & ad cutem propellit, Et quidem sudor in febribus hic tantum salutaris est, qui post Paroxys. evanescente jam calore febrili provenire solet, aut qui ipso die Critico erumpit, aliàs si contingat semper caloris nativi imbecillitatem & caloris præternaturalis violentiam & humorum vitiosorum copiam morbiq; diuturnitatem significat. Est quoq; salubris sudor qui calidus per totum corpus profluit, ex certis autem tantùm partibus, ut cervice, Thorace aliisq; emanans, earum partium imbecillitatem, easq; humoribus vitiosis gravatas ostendit. Frigidus verò sudor viribus debilitatis & in acutis febribus mortem significat, sudores Critici & qui fiunt in Paroxys. nunquam sunt cohibendi, sed potius promovendi. Promovetur autem sudoris effusio, assumpto bono hausto *aq. hordei cal.* aut assumpto hausto sudorifico supra in Institutione de Peste præscripto. Sed talis haustus exhibendus est, ubi Febres sunt venenatæ, qualis fuit Febris, quam *Sudorem Anglicum* vocant, quæ grassata est *Anno Christi* 1486. In sudoris excretione donec vires con-

Prognost.

Frigidus sudor.

constant, & pulsus arteriarum validus est, non est cohibendus. Quibus in febribus crebri & superflui sudores erumpunt, materia sudoris id est humores vitiosi leniter evacuandi sunt, & sponte cessabit sudor. Constat ex præmissis, non temerè esse sedandum sudorem, at si necessitas urgeat, his remediis sine noxa uti poterimus Topicis.

℞ *Terræ Sigill.* ℥ ii *cort. granat:* ʒ i *plumbi usti* ʒ v *Farinæ vo* *Unguentū* *latilis* ℈ ii *Alumi.* ℈ i *tenuiss. pulverisata commisc. & cum* ℥ i *Ol. Ci* *pro sistendo sudore.* *ton. in Lti. formam reducantur,* quo universa corporis cutis inungatur. *Aut*

℞ *Aq. Rosa. Plantag. Tormentillæ ana* ℥ iii *Albu. ovorum* No ij ℞ Subigantur & concutiantur simul & eo liquore cutis illiniatur. *Aut:*

℞ *Sulph: Citrini* ʒ ii *Salis Nitri* ʒ i *Alum.* ʒ v. *ol. Myrtill.* ℥ j *Misc.* ℔ Linimentum. *Aut:*

℞ *Ol. Rosa. Myrtill. ana* ℥ ß *succ. Citon.* ℥ ii *Succ. Granato.* ℥ i *Pul: Sang. Draconis, Acatiæ, ana* ʒ i *Se. Citon.* ʒ v. Ebulliant ad succi consumptionem & colentur ℔ Ltm. Intra corpus crebrò assumantur frustula *Citon. Sacch. condit.* Aut *rotulæ rosatæ novellæ aut* ʒ i *Troch. è Carabe cum aq. Nymphææ.* *Internæ.*

Animi deliquium in Febribus quomodo reficiendum.

Lipothymia.

ANimi deliquium hoc loco non omnium virium amissionem, qualis fit in Syncope morbo, sed summam imbecillitatem virium & cordis anxietatem intelligimus, nostrates Ohnmacht / oder Krafftlosigkeit vocant.

vocant. Contingit hoc Symptoma ubi spiritus vitales in corde aut dissipantur aut suffocantur impensius.

Remedia. *CURATIO est, ut statim Spiritus corroborentur* & calor nativus excitetur. In hanc rem facit *aq. Stillat. Cinamo.* si ejus cochlear unum in ipsa anxietate exhibeatur, & naribus *acetum rosa.* odorandum admoveatur, si deniq; tempora & arteria in carpis manuum pulsantes *cum aq. Rosa. pauxillo aceto Rosa. commixta* confricentur. Cordis regioni sequens Epithema imponatur.

Epith. ℞ *Aq. Rosa.* ℥ iii *Meliss. Borag. ana* ℥ i *Aceti Rosa. Vini generosi ana* ℥ ſs. *Pul. corall: rub. pp.* ʒ i *Sp. Cordialium* ʒ ii *Commisc* ſ. *Epith.* duplicatis linteolis excipiendum atq; imponendum. Refectis Spiritibus vitalibus, si absit calor febrilis, ad virium omnium corroborationem exhibeatur *lamina panis vel in vino cretico, vel in suc. acido citri aut in suc. granat.* recens expresso macerata, Aut crebrò gustet æger *ror. manna Christi perlat.*

Tumor pedum in Febrium terminatione ut curandus.

Pedum tumor. CIrca terminationem Febrium præsertim in pituitosis corporibus, propter pravam Victus rationem & pituitosæ colluviei copiam, quæ ad pedes decumbit, intumescant, & œdematosi efficiuntur pedes ac tibiæ præsertim vesperi. Etsi autem pedum tumor in febribus processu temporis sponte discutiatur, modò æger bona & moderata utatur victus ratione, tamen si tumor diutius molestet, convenit pituitosam materiam convenientibus remediis iterum atq; iterum subducere atq; evacuare.

cuare. Ejusmodi remedium est *infusum Aga. Troch.* ℥ iij *in hauſt. aq. Abſynth.* aut in robuſtis *Diaphœn.* ℥ x. *in hauſt. aq. Abſynth.* reſolutæ. Pedes autem tumentes vapore aq. & aceti ſimul mixtorum in quibus incocti ſunt *flores Chamæ. & Anethi & fol. Sambuci* aut Ebuli, ſingulis diebus per horam macerentur ac tandem inungantur *ol. Chamæ.* cui nonnihil *ol. vitr.* ſit admixtum. Hæc ſi minus conferant, tumentes pedes in dolium ſive tinnam ad genua usq; imponantur, & Siliginibus in aheno ſine liquore torrefactis ac ferventibus obruantur ac ſepeliantur, Siligo enim per poros pituitoſam colluviem elicit & provocat, aut plantis pedum tumentium ſequens cataplaſma imponatur. *Pituitam ſubducens Pharm.* *Topica.*

℞ *Sapo. nigri, Mellis crudi Salis ana p. æ.* Quæ commixta cum aceto ſufficienti coquantur ad juſtam craſſitiem ſit catapl. Quod per duplicatum linteolum extenſum ituro cubitum imponatur, Quod etiam ipſis pedibus tumentibus commodè circumponi & applicari poteſt. Cavendum tamen ſedulò ne per crebras lotiones pedum tumor vel materia tumoris ſurſum in ventrem ac reliqua viſcera ex pedibus propellatur. *Cataplaſma.* *Cautio.*

Recidentia ſive recidiva Febris quomodo curanda.

FEbrim vocamus recidivam, ubi quis per aliquot tempus liberatus rurſum poſt octiduum aut citius tardiusvè denuò in eundem incidit. *Recidiva.*

Cauſæ recidivarum αἰτιῶδες. ſunt reliquiæ vitioſorum humorum per corpus ſparſæ & nondum ſatis evacuatæ.

αἰτιῶδες: ſunt vel in victus ratione Intemperantia, &

alimentorum putrefactioni obnoxiorũ viſceraq; obſtruentium aſſumptio; vel aëris tenuis & temperati conſuetiq; ſubita mutatio. Videmus enim qui paulò poſt in nubiloſum craſſumq; aërem prodeant, *aut flumina & aquas pertranſeant*, aut laquearia *aut templa ingrediantur*, ſtatim denuo in febrim recidere, eò quod per craſſitiem aëris pori cutis obſtruantur, & reliquiæ humoris putrefacti in corpore adhuc fumigantis accendantur, & novam febrim excitent.

Cauſa.

NB

Signa manifeſta ſunt.

Prognoſt.

PRognoſticum autem id obſervatu dignum eſt: In recidivis ſi æger adhuc à priori febri valde ſit debilis & denuò recidat, vix mortem evaſurus eſt. Præſtat itaq; Medicum honeſtâ excuſatione prætensâ à recidivarum ejusmodi curatione abſtinere. Si verò poſt priorem febrim vires conſtent, Quiete & abſtinentia id eſt moderata & convenienti victus ratione facilè curabitur; At ſi viſcera pravis humoribus ſunt infarcta, benigniſſimis remediis veluti ſunt ℥ X *Pulpæ Caſiæ.* aut ℥ II *Mannæ*, aut ℥ III *Syr. roſat. ſol.* liberanda veniunt, à multis autem violentioribusq; remediis omnino abſtinendum eſt.

Finis libri de febribus.

TOMI QVINTI TRACTATVS
de Febribus præcipua Typographica Errata
sic corrigenda.

Aut. R. *raphani rad. recent. in quibus infigantur fruſtula Ellebori albi, quæ per noctem in hauſtu vini aut cereviſiæ macerentur, ebullitaq; exprimantur, qui liquor tepidus aſſumatur.* Omnem enim venenatam materiam validiſsimè evacuat. *Vomitorium ex belleb. albo & raphano.* Poſt evomitionem veneni commodiſsimè uti poſſumus ad ventriculi corroborationem in calida quidem qualitate veneni ℥ij *Syr. acetoſ. Citri aut Syr. granatorum cum* ℥iij *aquæ acetoſæ.* In frigida autem qualitate veneni ℥ij *Syr. de Menthæ, cum* ℥iij *aq. menthæ aut ſcordÿ,* prodeſt quoq; poſt evomitum venenum aut *recens butyrum* liquefactum, aut *oleum dulce olivarum* aſſumere. *Roborans ventriculi à vomitu.* Ubi verò materia veneni concepti in inteſtinis hæreat, id quod ex torminibus, flatibus, eroſionibus & ventris inferioris intumeſcentia deprehendere licebit, tunc non eſt vomitio tentanda, ſed venenum acribus clyſteribus, præſertim ſi abſit fluxio alvi, ſubtrahere oportet, *habita ſemper ratione qualitatum veneni, utrum calidæ aut frigidæ ſint,* In calidis & erodentibus venenis. R. *Violariæ malvæ, mercur: ana M. j. violarum ſicc. roſarum ana M. ſ. Sc. acetoſæ* ℥j *conciſa & contuſa nonnihil concoquantur in q. S. ad medias. Deinde colentur & colati juris accipe* ℔ *t. cui admiſce pulpæ Caſſ.* ℥iij *ol. violarum* ℥ij, *albumin ovorum No ij Salis* ʒj *F. Enema & tepidum applicetur.* Frigido verò exiſtente veneno, quod ex obſtructione alvi, flatibus, & colicis doloribus dignoſci poteſt. R. *Elor. Chamomil. anethi, rutæ, Scordÿ Centauri min. abſinthÿ. Card. bened. ana M. ſ. Sem. Citri, Ciminiana* ℥ſ *Bacc. Lauri Juniperi ana* ℥ij *contuſa & conciſa coquantur in q. ſ. aq. & in fine coctionis iniiciatur nodulus ex* ℈j *colocynth, in linteolo ligati ac ſemel atq; iterum cum reli-*

reliquis ebullire permittatur. Deinde colentur, colati juris accipe ℔ *j cui admisce Hieræ Simp: Diaphœnic. ana* ʒß. *Tber. Andromachi* ʒs. *ol. rutæ* ʒj ʃ. *ol. Lauri* ʒs. *salis* ʒi. *F. Enema & applicetur tepidum.* At si veneni concepti virulenta qualitas jam commixta sit humoribus in venis contentis, tum si veneni qualitas calida est, vena est secanda mediana & postea levibus catharcticis pharmacis proli-cienda & syrupis veneno adversantibus venenatamq; qualitatem alterantibns crebrò repetitis utendum erit. In æstuantibus itaq; venenis, quod ex rubore faciei & totius corporis caliditate dignoscitur, putrescentes humores subtrahantur, aut ʒj *pulpæ cass. extr. cui Rhabarb. pul.* ϑij *sunt admixti*, quod instar boli devorari potest, unâ horâ ante prandium, aut resolvi in haustulo *aq. Cichorei*, sequentibus autem diebus manè ac vesperi exhibeantur ʒij *Syr. acetos. Citr. cum* ʒiij *aq. acetosæ*, & si vires ferant tertio die rursum cum præscripta *Cassia* aut ʒij *mannæ in jusculo pulli gallinacei dissolutis* evacuetur. Et quoniam calidis & æstuantibus venenis utplurimum ardens febris cohæreat, ibidem iterum venæ sectione & syrupis præscriptis alterantibus diutius utendum erit. Si autem venenum humoribus mixtum frigidæ sit naturæ, id quod ex artuum gravitate, & totius corporis lassitudine dignosci potest, purgetur venenatus humor ʒ vj *diaphœnic. &* ʒ ij *hieræ picræ cum aq. scordij aut Card. bened. haustulo commixtis & sex horis ante prandium ebibitis.* Sequentibus autem diebus manè ac vesperi exhibeantur ʒij *Syr. è card bened. aut de succo scordij facto cum* ʒiij *aq. stillatitiæ earundem herbarum.*

Porrò si venenum conceptum spiritus vitales contami-

taminavit, & jam in arterias irrepsit, id quod fit ubi veneni curatio negligentius tractetur aut diutius protrahatur, aut ubi veneni qualitas subtilis, tenuis & aërea sit, tum quàm celerrimè venenatæ qualitates persudorem discuti & propelli debent, assumpto haustu sudorifico hac ratione parato. R. *Theriacæ Androm.* ʒj ß. *Pul. Scordij, rutæ, Card. bened. Cornu cervi usti ana* ℈j *Unicornu veri si haberi potest* ℈ß. *Quæ omnia simul dissolvantur in haustulo aq. Scord. F. Haustus sudorificus.* cum quo pro virium ratione aut per ij aut sesquihoram probè sudet infectus. Hæc si præ manibus non sint, uti licebit pro sudorifica potione ʒij aut *boli Armeni veri,* aut *Terr. Lemniæ* aut *Pulv. Scordij aut* ʒij *diascordij nostri in pestis curatione præscripti*, aut ʒij aliorum *alexipharmacorum* remediorum, quæ paulò ante inter remedia veneno adversantia proposita sunt *cum liquore Scordij aut Card. bened.* Post sudorem *Syrupis* uti licebit in calidis venenis *acetos. citri,* In frigidis verò *Syr. de card. bened. cum aq. acetosæ, rutæ aut scordij dissolutis* ut paulò ante dictum est. Nunc ad specialem venenorum conceptorum curationem accedemus.

Curatio Liberativa singularum Specierum Veneni corporis qualis esse debeat.

Paulò ante tradidimus venenatarum rerum alias esse stirpes, aut stirpium partes, alia esse fossilia, & è terra eruta, ut sunt mineralia & metalla, alia esse animalia aut partes animantium quibus singulis intra corpus conceptis, singularis adhibenda est curatio, pro natura & qualitate veneni symptomatumq; quæ ab iis excitantur qualitate & sævitia.

SECTIO SECUNDA.

DE VENENIS EX VEGETABILIUM FAMILIA ORIUNDIS.

DE HERBIS VENENATIS & earum partibus.

Herbarum Venenatarum earundemq; partium quæ sint naturæ, & quæ excitent symptomata, quibusq; remediis & antidotis persananda.

HErbarum & stirpium aliæ partes aliis magis sunt venenatæ & intra corpus assumptæ majorem inferunt perniciem vel extremis suis qualitatibus vel forma substantiali.

Aconitum seu Napellus quid, quæ excitet symptomata, & quibus remediis succurrendum.

Aconitum Ακονίτον παρδαλιαγχες vel λυκόκτονον, id est, *Aconitum* Pardos luposq; enecans Wolfeswurtz. *Aconiti* plures sunt species, quarum una duntaxat nobis est cognita, in hisq; locis à mulierculis in hortis seritur, & ornamenti causa in fenestris collocatur, quæ *folia* habet *artemisiæ* & flores ex nigro cæruleos *Monachorum cucullis* similes. *Error mulierum* Unde Monck oder Mönnichskappen dicitur. Errant verò qui *Aconiti* speciem alteram esse putant eam herbam sylvestrem quam *uvam lupinam*, vel *uvam inversam & herbam paridis* nominant, quæ ex unico caule rotunda est,

est, 4. *fol. Betbæ similia* per ambitum caulis ita inter se dispositа habens, ut crucis formam constituant, & in ejus summitate inter alia 4. angusta foliola niger acinus si-ve bacca succrescit, quæ herba adeò non est venenata, ut semina ex illis baccis collecta & in pulverem redacta crebroq; exhibita, veneficiis omnis generis medeantur, & ejus fol. carbunculis pestilentibus utilissimè imponi, in curatione pestis demonstravimus. *Aconitum* quod & *Napellus* nominatur habet naturam calefacientem & formam substantialem venenatam & corrumpentem, assumptum intra corpus pernitiosa excitat symptomata: *Labia enim & lingua statim ab illa inflammantur, & vehementer intumescunt, oculi protuberant, & corpus universum intumescit, instar hydropicorum & livido colore defœdatur*, deinde animi deliquium & mors ipsa, nisi tempesti vè succurratur, subsequitur. *Herba pa-ris Eius-beer. Prognost.*

CURATIO *napelli* sive *Aconiti* statim in initio tentanda est, & studendum diligenter ut exhausta potione vomitoria, cujus in superioribus fecimus mentionem, aut exhausto decocto anethi, in quo recens butyrum largiùs est liquefactum, veneni materia evomatur ac projiciatur. *Vomitorium Anethum?*

Antidota autem hujus pernitiosi veneni sunt, si post vomitum exhibeantur ʒij *boli Armeni genuini* aut *terræ Lemniæ aut* ʒij *pul. seminis napi sive rapæ* cum haustulo vini; aut *Theriacæ Andromachi* ʒij *cum vino*. Esitandum quoq; crebrò offeratur ægro *recens butyrum*; foris autem inungatur tumidum corpus subinde *Ol. Scorpionum & Ol. hyperionis, Quibus Theriacæ Androm. quippiam est admixtum*. *Antid. Topicæ,*

Tithymalus seu Esula quid, quæ ejus natura, quæ excitet symptomata, & quibus succurrendum remediis.

Esula. Τιθύμαλος Teuffels oder Wulffesmilch. Dioscorides 7. ejus species enumerat, quæ vel lacteo succo refertæ sunt, ex quibus duo genera nobis tantum sunt cognita, quas communiter *Esulam majorem & Esulam minorem vel rotundam*, quia *portulacæ* folia habet, vocamus, totâ formâ substantiali venenatæ sunt herbæ cùm præternaturali caliditate, *succus, semen, & radices Tithymali* nisi probè correcta, si intra corpus assumantur, violentissima excitant symptomata. Ventriculi enim primum, deinde jecinoris temperiem destruunt, & cordis anxietatem excitant, totum corpus inflammant, sitim & singultum inferunt.

Symptomata ejus.

Curatio. Vomitus. CURATIO *Tithymalorum* seu *Esulæ* consistit in euomitione, *oleum* itaq; *anethi cum aq. tepida* potandum præbeatur ac post vomitum & clysteres ex *ol. rosar. veloleo Citon. & album ovorum* confectum cui nonnihil *mucag. Sem. Psyllij* sit admixtum infundatur. Postea loco antidoti exhibeantur ʒij *Theriacæ Androm. cum aq. Card. bened.* aut ʒij seq. pulveris.

Antid. R. *Boli Armeni* ʒs. *Terræ Lemniæ* ℈ij *Tragacanthi* ℈j *Corall. rub. præp. Cornu Cervi usti, Gum. Arabici ana* ℈ʃ. *F. pulvis & exhibeatur cum vino.*

Mezereon quid, quæ Symptomata inferat & quæ adhibenda curatio.

Mesereum. Μεζέρεον *Arabum* non est alia herba quàm ea, quæ Græ-

Græcis χαμελαῖα seu potius θυμελαῖα nominatur. Sunt enim hæ duæ herbæ congeneres, cujus semen *Dioscorides* granum gnidion, & officinis *cocognidium* vocatur, nostrates autem Kellershals nominant, quod fauces commasticatum acerrimè urat. Etsi autem *Mesereonis* folia correcta remediis aquam hydropicam evacuantibus utiliter admisceantur: neq; tamen folia nec semen ejus ob extremam caliditatem & violentam purgatricem vim, veneno caret, & assumptum intra corpus sæva hæc infert Symptomata, vomitiones & alvi fluorem continuum, ventriculi tormina, angustias & sitim vehementem. *Sympt.*

Curatio consistit in evomitione assumpto *oleo anethi cum aqua tepida* & in alvum *Clysteris* infusione ex *ol. rosarum cum decocto Chamæmel.* Antidota Mesereonis sunt ʒij *Theriacæ Androm.* aut ʒij *pul. Scordij aut* ʒij *corall. rub. præp. & terræ Lemniæ*, quæ cum vino exhiberi possunt. Deinde utile est *lac* crebrò bibere, in quo *butyrum recens* sit liquefactum. *Curatio.* *Antid.*

Laureola quid, quæ excitet symptomata, & quibus curanda remediis.

Laureola Græcis δαφνοειδὲς vel χαμαιδάφνη, id est, *humilis Laurus* nominatur. Hic frutex in Germanicis myropoliis ignotus est. In montibus Tridentinis luxuriat, folia *lauri foliis* similia habet. Per ambitum unius caulis dispositа; Semen nigrum instar piperis profert, vomitoria & purgatoria facultate prædita, cum exurenti caliditate. Folia & semina venenata sunt, quæ sæva accidentia, ut *mezereon*, infert, & per superio- *Laureola.*

ra & inferiora volentiùs purgat & acerba ventris excitat tormina.

Superior Cura adsciscenda.

CURATIO & antidota eadem sunt adhibenda, quæ in *Mezereonis* seu *cocognidij* curatione commemoravimus. Prodest tamen præterea ægrum in *balneum aq. frigidæ* collocare vel frigidam aquam linteolis exceptam ventri imponere, & *lac* subinde *cum recenti butyro* exhibere, & *veri Armenij Boli* gij propinare.

Veratrum quid, quæ concitet Symptomata, & quibus remediis eisdem sit opitulandum.

Helleborus.

Veratrum, Græcis ἔλλεβορος. Duo sunt *Elleberi* genera à radicum colore sumpta album videlicet & nigrum. Album Græci Elleborum λευκόν, nostrates Nießwurtzel oder Schaffönnie / Nigrum verò elleborum nostrates Christwurtz vocant. Etsi autem Ellebori utriusq; non contemnenda sit utilitas in arte medica, si probè correcta & venenata qualitate exuta exhibeantur, per se tamen utrumq; est pernitiosa & venenata qualitate imbutum & horrenda excitat symptomata. Et albus quidem Elleborus, ventriculi & alvi violentam commotionem & supra infraq; furiosam dejectionem & ingentes ventris cruciatus, strangulationem, sive respirationis interceptionem, sudorem frigidum, convulsionem & postremò mortem repentinam, nisi maturè succuratur, infert. Eorum autem Symptomatum curatio ex albo Elleboro ortorum consistit in matura evacuatione Elleboro, & ab eo commotorum humorum & flatuum: per vomitionem, epoto prius *ol. rutæ, cum aq. tepida*, quæ crebriùs repeti debet, & per alvi subductionem cum acri

Hell. albi Sympt.

Curatio.

clyste-

clystere ex decocto *centaur. min.* in quo ebullitus sit ℈j *colocynthidis & ol. anethino*, quibus per actis antidotum exhibeatur nempe *Theriac. Androm.* ʒij aut *pul. rad. nymphæa vel flor. ejus alborum*, aut *seminis pastinacæ* ʒij *cum vino* assumptæ, postea subinde propinetur *butyrum recens* liquefactum cum *lacte* aut *hydromelite*. Ventri autem foris imponetur sacculus confectus *ex mentha, rosis rub. & Sem. Cimini* qui *in vino* sit coctus & expressus; Ubi autem convulsio subsequatur æger in solium sive *balneum calidæ* collocetur, & convulsi artus *ol. anethino* probè confricentur & inungantur. Porrò *veratrum nigrum*, sive elleborus niger cujus dilutum vel succus per coctionem extractus, seu pulvis ejus, admixtis tamen ejus violentiam corrigentibus, utilissimus est in expurgando melancholico humore, in Quartana febre & in adultorum Epilepsia, si tamen certo pondere ac mensura cautissimè exhibeatur. Incorrectus verò & largiore pondere assumptus, gravissima inducit symptomata, alvi continuam fluxionem & ventriculi vomitionem, cordis palpitationem, ventris intumescentiam, angustiam & suffocationem, linguæ ariditatem, & totius corporis inflationem ac contremescentiam.

Antid.

Topica.

Usus hellеb. nig.

Sympt. hellеb. nig.

Curatio noxarum Ellebori nigri est, ut statim in initio materia Ellebori expellatur cùm per vomitionem tum per Clysteris injectionem, quemadmodum de curatione albi diximus. *Antidota* verò *Hellebori nigri* erunt ʒij *Theriaca Androm.* aut ʒij sequentis pulveris.

Curatio.

R. *Sem. Absinthij fol. Scordij ana* ℈ij *sem. anisi Cimini, Castorei ana* ℈j *nardi indici, rutæ, ana* ℈ß. *pulveri sata commisceantur & cum vino exhibeantur*, aut propinentur eidem

dem *pul. rad. aut flor. nymphææ albæ cum vino*; Ventri verò imponatur *sacculus ex mentha, pulegio, ruta, baccis lauri & cimino confectus: & in vino aut cerevisia ebullitus & expressus.* Prodest eidem & *lac cum butyro recenti liquefacto* crebro bibitum vel *butyrum cum melle virgineo* sæpè gustatum.

Colocinthis quid, quæ inferat Symptomata & quibus remediis eisdem succurrendum.

Colocinthis. Colocynthidem Græci κολοκύνθιδα & in officinis satis barbarè Coloquinthida nominant. Est autem Colocynthis fructus instar pilæ sive ovi nascens per sarmentosam herbam per terram expansam instar cucumeris, Colocinthis in multis remediis immiscetur per *Galenum* & alios Medicos, quæ sua extrema amaritudine omnia reddit ingrata, & si paulò largiùs exhibeatur sæva infert Symptomata: Validissimè enim alvum cum torminibus turbat & subducit, & *ventriculum mirificè offendit*, cordi quoq; & jecinori noxam infert & erodit, intestina ac dysenteriam generat, appetitum quoq; prosternit, & nauseam infert, ejus verò exigua quantitas ut pondere ℈j tutissimè in clysteribus incoquitur.

Noxæ.

in clysteribus.

Cura. CURATIO assumptæ colocynthidis est Clyster ex *lacte & ol. rosarum* vel *anethi* confectus, aut recipiatur *succi plantag.* ℔ j. *Vitella ovorum no. ij. boli Armen.* ℥ß *tenuissimè contriti ol. Rosarum* ℥iij *mucag. Tragacanth.* ℥ß. *commisceantur F. Clyster*, quod tepidum infundatur. Ventri autem ut cruciatus & tormina sistantur, imponatur sacculus ex *mentha, absinthio, rosis, anetho & sem. Cimini, ana* ad placitum confectus & in vino ebullitus & expres-

expressus. Antidoti loco ʒij *Theriacæ Androm. cum vino* exhiberi possunt, aut *boli Armeni veri & Corall. rub. pp. Aind. ana* ʒij *cum vino exhibeatur.*

Cyclamen vel panis porcinus quid? quæ inferat symptomata, quæ eorum remedia.

Cyclamen vel cyclamenos, κυκλάμινος *Arthanita*, Sawbroth/ est radix rotunda & tuberosa, folia proferens *Asaris* similia; Hæc radix in Enematibus intestino injecta crassam pituitam potenter educit, & inde generatos dolores colicos sedat statim. In Errhinis verò vel ut vocant *nasalibus*, si naribus inseratur, cerebri obstructiones aperit, & excrementa per nares prolicit. Cyclamen verò si intra corpus non correctus, vel non justa mensura assumatur, sæva inducit symptomata, vomitum videlicet & alvi egestionem continuam, & suffocationem, eaq; omnia excitat, quæ de *Elleboro albo* dicta sunt symptomata. *Cyclamen* *Usus.* *Noxa.*

CURATIO symptomatum cyclaminis consistit in subita evacuatione per Clysterem *ex lacte & ol. laurino* confectum. Pro antidoto exhibeatur sequens pulvis. *Cura.*

R. *Bacc. lauri piperis albi, fol. rutæ ana* ʒij. Fiat pulvis & cum haustu vini exhibeatur aut propinentur Theriacæ Andromachi ʒij.

Cataputia quid, quæ inferat symptomata & quæ remedia.

Cataputiæ duæ sunt species major & minor. Major Græcis κρότων, Latinis *Rhicinus*, inde quod semen ejus Rhicinis animalculis pecudum cuti adhærentibus effigie *Cataputia.*

persimile est. Arabibus autem *Cerba*, nostratibus Wunderbawm / Minor cataputia est Tithymali species, quia lacteo succo madet, Græcis λάθυρις, cujus semina nostratibus Sprinckörner nominantur. Utriusq; autem Cataputiæ Sem. & Rhicini & Lathyridos eisdem facultatibus pollent, videlicet violenter & per inferiora & superiora purgantibus. Et eadem si inconsiderantius devorentur inferunt symptomata, ut sunt Dysenteria, appetitionis prostratio, ventris cruciatus, animi deliquium & alia quæ Tithymalorum species inferre possunt.

Cura. Curatio quoq; eadem adhiberi debet, quæ in Tithymali venenis adhibenda docuimus, præstat autem sta-

Vomitor. tim exhausta vomitoria potio *aquæ Juniperi per descensum destillatæ* & intestinorum elotione cum Clystere *ex decocto anethi, & ol. anethi* parato. Antidoti loco conducunt ʒij *Theriacæ Androm.* Deinde ʒij *Sp. liberantis.* Confett quoq; *lac* potitatum, in quo *butyrum recens* est liquefactum.

Turbith quid, quæ ejus symptomata quæve Symtomatum curatio.

Turbith. Turbith vel Turbethum, ut quidam putant, est radix *Alypi* Græcorum, qualis autem ejus radicis herba sit, nec Græci, nec Latini descripserunt. Hæc radix ritè præparata, vel aliis remediis admixta pituitam potenter evacuat, ideoq; est usitatissimum in myropoliis ex præstantissimis remediis compositis, ut sunt *Diaturbith, Diaphœniconis* pituitæ evacuationis causa admiscere. Verùm Turbith non correctum & in majori mensura, quàm decet propinatum venenum est, & violentis-

lentissimè alvum ducit & turbat & nauseam vomitionemq; laboriosam excitat. *Noxa.*

CURATIO ejus est subita evacuatio alvi atque ventriculi, cùm per vomitum, tum per Clysteres. In clysteribus autem seu elotionibus alui plurimum confert *Hydromel* vel *aqua mellis cum ol. amygdalorum amar:* præstat quoq; potio *hydromel. cum ol. amygdal. amar:* Antidotum ʒij *Theriacæ, vel* ʒij *specier. liberantis.*

Scammonium quid, quæ excitet in corpore symptomata, & quibus eisdem succurrendum remediis.

Σκαμμωνία, Latinis Scammonia est herba in, in Misia Asiæ & Syria nascens, Volubili minori similis hederacea habens folia, sed longè pinguiora, nobis Europæis ignotissima. Ex ejus foliis succus lacteus exprimitur, ac deinceps condensatur & inde Venetiis adportatur. Is succus in Myropoliis Scammonium nominatur. Si verò idem succus præparatus, quod fit si succo Citoneorum incoquatur, tum medicis *diagridion* appellatur, quod est usitatissimum in officinis medicamentum. Pauca enim prostant Electuaria & pillularum massæ laxantes, quibus Diagridion sive Scammonium præparatum, tum non immisceatur, propter ejus excellentem vim purgatricem, Laudatissimum autem censetur Scammonium, quod leve est & nitidum & linguæ admotum aut comestum in succum lacteum resolvitur. Scammonium per se, & ultra modum assumptum violenta purgatrice facultate & insigni calidltate venenum est, & excitat hæc Symptomata, alvi nimirum immoderatum fluo-

Scammonium.

Diagridion.

nota Scam. op.

Noxa.

fluorem ac dysenteriam & noxam infert cordi, epati, ventriculo & intestinis, & universum corpus inflammat, febrim accendit, sitim intolerabilem & animi deliquium inducit.

Curatio. Vomitus. Curatio Scammonij est evomitio statim in principio assumptionis, quæ debet fieri *cum aqua calida & ol. anethino.* Post vomitum *Syrupus è succo Citri aut rosarum cum aqua Tormentillæ,* aut *aq. hordei* præstat exhiberi. Ut autem fluxio alvi sistatur, *Confert ægrum in aquam frigidam usq; ad umbilicum collocare.* Antidotum autem Scammonij, ut omnium ferè venenatarum rerum violentiùs purgantium, est *Theriaca Andromachi*, si ejus ʒij cum *aq. rosarum* aut *plantaginis* exhibeantur aut sequens pulvis. R *Boli Armeni veri* ʒj *corall. rub. pp: Cornu cervi usti ana* ℈ ſs. Misce & propinentur cum *aqua Rosarum* aut *Tormentillæ*; plurimum quoq; confert, si æger *lac recens mulctum cum butyro recenti,* aut cum *oleo amygdal. dulc.* bibat: Confert & *succum Citoniorum condensatum* sæpius gustasse.

hypercatharsis quomodo sistenda.

Ranunculus quid, & intra corpus assumptus quæ concitet Symptomata, & quomodo ea curanda.

Ranunculus. Βατραχων, Hanenfuß / Brenkraut / *Flammula & Apium risus* nominatur, eò quod per ejus usum, vel sua venenata qualitate, nervos potissimùm cerebri & faciei convellat, & musculos distendat, morientibusq; ridentis effigiem inferat. Plures sunt ranunculorum species, sed omnibus una est facultas, nimirum acris & exulcerans. Radix ranunculi contusa & cuti imposita vesicam excitat & cutim exulcerat; Intra corpus assumptus ranunculus,

Sympt.

lus gravia infert symptomata exulcerando viscera & nervos, ut dictum est, facici & maxillarum, lædit & memoriam.

CURATIO ejus est cita ejus revomitio hausta prius *aq. Juniperi per discensum distillata.* Deinde somni conciliatio. Antidota ejus sunt *succus Melissæ, cum vino rub.* mixtus, & *lac caprillum cum recenti butyro* bibitum. *Antid.*

Euphorbium Assumptum, quid, quæ inferat symptomata & qua ratione ea curanda.

Εὐφόρβιον est succus cujusdam arboris ferulaceæ in *Mauritania & monte Atlantis* nascentis, ex cujus cortice incisa succus prostillat, & instar gummatis concrescit in grumos, cujus qualitas & odore & sapore omnium est ferventissima & acerrima. Qui tamen ritè præparatus, & intra corpus exhibitus hydropicorum aquam validissimè subducit, alias si intra corpus ultra modum ingeratur, extremam infert pernitiem. Ideò non nisi rectè præparatus, & in certa quantitate hydropicis frigidum ventrem habentibus & in colicis doloribus ex frigida pituita ortis exhibetur. Paratur ex eo oleum ad frigidissimos quosq; morbos foris inunctum utilissimum. Euphorbium incorrectum assumptum totius corporis veluti incendium, intensissimum ardorem & sitim inducit. Deinde animi deliquium frigidos sudores, dysenteriam & mortem infert. *Euphorbium.* *qualitas ejus.* *Usus.* *Noxa.*

CURATIO Symptomatum ex Euphorbio est, ut materia Euphorbij statim per vomitum dejiciatur, quæ si intestina descendit, ibidemq; erosionem facit per clysterem subducenda erit, ac protinus ignea ejus qualitas *Cura.*

in viscéribus extinguenda. Vomitio perfici potest commodè *cum aquâ tepida, cui oleum violarum* est admixtum. Clyster paretur ex *aqua hordei*, cui nonnihil *mucaginis sem: Psilij* est admixtum, aut *ex lacte* in quo *ol: rosarum* est resolutum. Antidotum Euphorbij est *Theriaca Andromachi* ʒij *& species liberantis* cum *crebro lacte* usurpata. Prodest & *Syrupus de Citro cũ aq. rosarum* crebrò potitatus. Similiter & *butyrum recens in lacte* resolutum. Quin & *ol. violarum* cum *aq. hordei* commixtum crebrò exhiberi commodè potest. *Serum* quoq; *lactis acidum* unicè probatur.

Antid.

Anacardus quid, quæ inferat Symptomata, & quibus Remediis succurrendum.

descriptio fructus anacardini.

Etsi Anacardi vocabulum Græcum esse videatur, Græcis tamen avthoribus fructus Anacardi penitus fuit ignotus. Sunt autem Anacardi fructus magnitudine amygdalarum, cordis gallinacei, aut avium grandium effigiem & formam referentes, colore rubri, sub eorum cortice succus melleus & instar sanguinis rubeus continetur, quod vel anacardinum in myropoliis dicitur. Arbores Anacardi in *Sicilia* ad *Vesutium* montem, qui perpetuis ignibus flagrat, reperiuntur, ex eisq; fructus Anacardi colliguntur, conficiturq; iu officinis ex Anacardis medicamentum, quod *elect. Anacardinum* vocant. Utilissimum in paralysi linguæ si in ore retineatur, & in omnibus frigidis cerebri morbis & obstructionibus nervotum, quod *& memoriam si cum ratione assumatur amissam restaurat*, Assumpti anacardi sanguinem exurunt, & fauces atque guttur, ventriculum quoque crodunt, nervos

Mel anacard.

Elect. Anacard.

Usus.

Noxa.

con-

convellunt, & cerebri temperiem labefactant, rationemq; turbant.

CURATIO symptomatum ex Anacardis est cita revomitio & per clysterem subductio, atque larga lactis & recentis butyri potitatio. Confert quoq; plurimum *ol. amygd. dulc. & ol. è semine papaveris & medulla ex ossibus vel cruribus bovium cum ptisana hordei* bibita. Pro antidoto erunt ʒij *boli Armeni cum sero lactis.* Æger sæpe comedat *nucleos pineos & nucleos nuc. Jugland.* torrefactos.

Staphisagria quid, quæ inferat Symptomata, & quibus remediis iisdem succurrendum.

Σταφὶς ἀγρία Latinis *herba pedicularis*, eò quod pediculos enecet, nominatur. Ejus semen acri & urente facultate est prædictum, & per omnia simile Anacardis. *Staphisagria.*

Utimur seminis ejus decocto in gargarismatibus pro eliciendis ex cerebro excrementis pituitosis, quæ lenta & tenacia sunt. *Usus.*

Intra corpus assumpta semina Staphisagriæ eadem excitant symptomata, quæ anacardi. Fauces enim & palatum adurunt, vomitiones movent, ventriculum erodunt & dysenteriam inferunt & nisi tempestivè succurratur, strangulant. *Noxæ.*

CURATIO Symptomatum ex Staphisagria est evomitio, hausto prius *ol. amygdal.* & si in alvum descenderit, præstat & Clyster *ex ol. amygdalarum dulc. & lacte* paratum. Antidotum ejus est ʒij *Boli Armeni & Butyrum recens.* Reliqua remedia partim ex curatione Anacardorum petenda erunt partim infra in curatione Cantharidum commemorabuntur. *Antidot.*

Nux vomica quid, quæ excitet Symptomata, & quibus remediis ea sint curanda.

Nux Vomica. Nuces Vomicæ & *Græcis* & *Latinis* ignotæ per *Arabes* in officinas introductæ sunt. Sunt autem nuces vomicæ fructus cujusdam arboris orbiculares & instar pastillorum compressi tenuissimè lanuginosa pellicula contecti, qua abrasa subalbidi sunt & instar cornu duri.

duplicitèr exitiosa. Venenatæ sunt nuces vomicæ & proprietate specificâ & extremâ caliditate, & non solum canes & aves assumptæ citissimè enecant, verùm etiam hominibus lethales sunt quoquo modo assumptæ. Proinde *detestanda est illa usitatissima & Medicis & Myropoliis & certis familiis compositio, qua tempore pestis utuntur, quam Electuarium de ovo vel ovum aureum vocant, eò quod nucem vomicam recipiat,* Nuces vomicæ nostratibus Krabeuglin/ id est, gruum oculi vocantur. Assumptæ excitant periculosa symptomata, vomitionem laboriosam animi anxietatem & omnium virium subitam prostrationem.

NB *El. de ovo rejicitur.*

CURATIO eorum symptomatum consistit in citâ revomitione excitata aut cum *aq. Juniperi per descensum destillata,* aut cum *ol. anethi cum aq. calidâ* commixto exhausta. Antidota ejus sunt ʒij *pul. Zedoariæ cum vino* exhibitæ, & *succus citri acidi, corticesq.* ejus in pulverem redacti aut conditi, & *succus Citoniorum* condensatus. *Antid.*

Taxus quid, quæ inferat Symptomata, & quibus remediis succurrendum.

Taxus.

Σμίλαξ Eibenbaum arbor est baccifera magnitudine & foliorum figura ac dispositione *abieti* & *piceæ* non mul-

multum disimilis, quæ in *Italia* & *Sylvis Herciniæ ac Tridentinis* plurimùm luxuriat. Baccæ Taxi rubescentes sunt, & inter folia prona nascuntur, vinosæ & gustu non ingratæ, quæ devoratæ ardentem febrim excitant, totum corpus inflammant, & dysenteriam inferunt, sicuti & foliorum pulvis commestus. Quin & sub ejus umbra sedentibus, aut paulò diutius degentibus pernitiem infert, & fumo foliorum taxi mures enecantur in ædibus. *baccæ eadem.* *Noxa.*

Curatio Taxi est ut assumpta quàm citissimè evomantur, Antidotum ejus sunt *Theriacæ Andromachi* ʒij cum vino aut *succo Citoniorum* ebibitæ & crebra usurpatio *Syrupi è citro.* *Curatio.*

Oleander quid, quæ in corpore excitet symptomata, & quibus remediis subveniendum.

Oleander, *Mauritanorum* est vocabulum, in officinis tamen cum aliis Barbaris vocabulis receptum, Græcis verò νήριον & ῥοδοδένδρον, id est, *arbor rosas ferens* & ῥοδοδάφνη, id est, *laurus rosas ferens* sic dicta, quia folia habet *fol. lauri* similia. Arbuscula est in *Germania* ignotissi- *ab extra salutaris,* ma. Nerei & folia & rosæ sive flores venenatis morsibus *intra lethalis.* aut carbonibus pestiferis foris imposita venenum eliciunt & discutiunt, sed intra corpus assumpta & hominibus & pecudibus omnibus non ruminantibus pernitiem præsentissimam inferunt. Excitant enim extremam angustiam, alvi intumescentiam, & totius corporis inflammationem: Quin & umbra ejus (sicuti de Taxo dictum est) sub ea quiescentibus periculum inducit.

CURATIO oleandri & symptomatum ex eo excita-

torum consistit in revomitione cum *aq. Juniperi per descensum destillata*, & Clysteribus *ex decocto ficuum & ol. Amygd.* parato & crebra potitatione *decocti dactylorum & ficuum*. Antidotum ejus sunt ʒij *diacastorei* aut ʒij *pul. bacc. Juniperi* aut ʒj ß. *sem. rutæ & sem. viticis* sive *agni casti*, conferunt quoq; *ficuum & dactylorum & butyri recentis* crebræ esitationes.

Antidota.

Juglans & Sambucus Arbores quid, quomodo suâ umbrâ lædant, & quibus remediis noxa depellenda.

Juglans Juglans arbor Græcis κάρυον βασιλικὸν, id est, *nux regia*
Sambucus seu communis, nostris ein Wallnußbawm. Sambucus Græcis ἀκτὴ nostratibus Holdersbaum oder Flederbaum
Cur juglãs & Sambucus inter venenata referenda. nominatur. Has duas arbores nos non alio nomine inter venenatas referimus, quam si quis sub earum umbra diutius versetur aut quiescat, quemadmodum de Taxo & Nerio diximus, ob gravem earum odorem, gravia inducunt symptomata nimirum capitis dolorem, vertiginem, sæpè Epilepsiam & Apoplexiam. Quare qui in viridariis vel hortis sub earum umbra mensas acsesiones collocarunt, suæ saluti minus rectè consulunt.
Admonitio.
Alioqui & partes Juglandis & ipsa nux suas habent utilitates: ex corticibus enim radicum jugland. si in vino per noctem macerentur & manè ebulliti exprimantur colenturq; hic liquor vomitum excitat pituitosorum in ventriculo humorum. Similiter si flores ejus quos *juglos* sive *catulos* nominant in pulverem redigantur, & ponderè ʒj cum *vino* aut *hydromelle* exhibeantur itidem præstat. Sambuci autem mediani cortices cum *centaurii*
Vires juglandis.
Vomitorii ex Corticibus & julis.
Sambuci utilitates.

mix-

min. æquali pondere decocti in aqua, & ebibiti serosos humores ducunt, & *epar ab obstructione & putrefactione ex nimia Venere concepta præclarè liberant.* Quin & *semina sambuci ex baccis à pelliculis ablutis collecta* & in pulverem redacta, & pondere ʒj crebrò *cum vino* exhibita hydropicam aquam egregiè subducunt; Symptomata capitisq; dolores ex odore & umbra utriusq; arboris contracta, tollenda sunt capitis lotione cum Lixivio, in quo uel *frondes Rorismarini vel Majoranæ vel Bethonicæ vel Serpilli* sunt incocta. Deinde irrigatione capitis cum *aq. Lavendulæ* & masticatione *sem.* earum. Antidotum eorum symptomatum est vinum meracius ac devoratio trium aut quatuor *rotularum diamoschi.*

N. Etr. Cort. rad. Sambuci in hydrope Elegans in Quartana medicamē ol. ex acinis Sambuci. Spir. ejusdem nobile remediū in Epil. & Strangulatu uteri.

Agaricus quid, quæ inducat symptomata, & ea quibus remediis medicanda.

Agaricus Tannenschwammen / est tuber seu fungus, uel excrescentia quædam ex caudice *laricis arboris in sylvis sarmaticis Tridentinis, & Italiæ* plerisq; locis copiosè pronascens; probatissimus Agaricus recensetur, qui est albissimus, levis, laxus, & facilè friabilis, gustu primum dulcis & mox amarescens. *Exitiosus autem & Venenatus est* Agaricus niger, & cujuscunq; alterius coloris, durus, gravis, lignosus, & longas habens Venas; Optimus Agaricus nobilissimum & utilissimum est remedium, præsertim ubi ritè præparetur & in pastillos redigatur. Pituitam enim & putrescentes humores è corpore clementer subducit, & jecoris pulmonisq; obstructionem aufert, & omnibus principibus membris, Cerebro, pulmoni, Jecinori, ventriculo & articulis familiaris est medi-

Agaricus.

Notæ boni agarici.

Vires legitimi.

cina. Niger autem & vitiosus Agaricus, intra corpus
Noxa vitiosi. assumptus hæc excitat symptomata, nauseam, ventriculi subversionem, vomitum, alvi fluorem & anxietatem. Horum symptomatarum curatio consistit in assumpti mali Agarici cita evomitione assumpto prius haustulo
Curatio. *vini* in quo *cort. radicum Jugland.* per noctem sunt macerati & incocti. Post vomitum confert *butyrum* recens cum *lacte caprillo* liberaliùs potum. Antidotum Agarici mali sunt ʒij *Boli Armeni veri aut terræ Lemniæ aut pulv. cortic. Citri aut Arantiarum pond.* ʒj & *Syrupus è succo Citri acidi* aut *suc. Citon.* Condensatus sæpeq; gustatus.

Viscus arborum. ## *Viscus arborum quid, quæ inducat symptomata, & quibus ea profligenda remediis.*

Natalitia. ℔. viscus Vogelleim peculiaris & sui generis frutex seu planta est, colore buccco, inter frontes quarundam arborum, ut *Quercus, pyri, mali, betulæ* & similium. Ex stercore avium visci fructibus vescentium, & per eas arbores pernoctantium, ex quarum genere sunt *turdi palumbes, cuculi* & aliarum enata. Ex ejus baccis instar Margaritarum candidis viscus excoquitur, materia lenta & tenax ad aviculas capiendas utilis. Hunc frutiCem nostri finster vocitant, & visci quidem per quercum
Visci quercini vires. nascentis ligno, quod nobis Ekenfinster dicitur, in pulverem redacto, in profliganda Epilepsia commodissimè utimur. Fol. visci commasticata deglutitionem impediunt propter vehementem constrictionem. Acini verò visci & eorum succus intra corpus assumptus infert hæc symptomata; Vertiginem, rationis perturbationem ac continuos flatus ac rugitus alvi. Horum ex vi-

sce-

sco symptomatum curatio est evomitio assumpto prius hausto *aq. Juniperi per descensum destillatæ* & alvi per Clysterem subductio, cum *ol. absinthij* & decocto ejusdem, & *lactis cum recenti butyro crebra potitatio & lactis caprilli recentis esitatio.* Pro antidoto optimum est crebrò bibere *vinum absynthites & scordij decoctum*, aut *pulveris scordij* ʒj. Laudatur & *Theriaca Androm.* ʒij assumpta aut ʒs *coaguli leporis cum aceto* exhibita. *Curatio.*

Cicuta quid, & infra corpus assumpta, quæ excitet Symptomata & quibus remediis eisdem sue. *Cicuta.*

Κώνειον Wüterich Wotunck oder Schirlunck est herba notissima, fœdi & teterrimi odoris, quæ præter venenatam proprietatem extrema frigiditate est noxia. Narrat *Matthiolus* asinos cicutam depascentes in profundissimum somnum resolvi; adeò, ut rustici putantes asinum esse mortuum, aliquando corium ei detraxerint, & inter excoriandum asinum discusso somno, evigilasse, & prosiliisse, non sine risu spectantium. Succus cicutæ *somnificis Epithematibus* commodè admisceri potest & applicari, *Cicutæ herba semen aut radix* commesta, gravissima infert Symptomata, Vertiginem & oculorum caliginem, insaniam ac furorem, compressionem diaphr. vehementem cutis pruritum & animi anxietatem. *N. Catasplasma ex cicuta in excrescentiis singulare. Mala ex hujus assumptione.*

CURATIO horum Symptomatum est revomitio subita exhausto prius ol. irino cum aqua tepida & momento salis, aut hausto *aq. Juniperi per descensum destillatæ* ʒv. & subductio alvi injecto acri clystere. Deinde exhibea- *Cura.*

tur ægro *vinum Absynth.* affatim & crebrò. Antidota Cicutæ sunt ʒij *Theriacæ Androm.* aut ʒj *pul. gentianæ cum vino* aut *guttæ vij ol. Angelicæ cum vino.*

Hyoschiamus. **Hyoschyamus quid, quæ inferat Symptomata—, & quibus remediis depellenda—.**

Ὑοσκύαμος *hyoschiamus* vel *Apollinaris* Billeren oder Billersamen est nota & vulgata herba, semen in calicibus proferens, Radices hyoschyami minutim concisæ & in aceto decoctæ dentium doloribus ex calido fluxu ortis præclarè medentur. Fumo sem. hyoschyami galli gallinacei concepto è tignis delabuntur, & semine devorato pisces in aquis supernatant, ut manibus rapi queant. Semen hyoschyami aut succus aut radix intra corpus assumpta mentem perturbant, & tam turbulentos furores inferunt, ut à cacodæmone agitati, aut instar ebriorum continuè rixari ægri videantur, & vertiginem strangulationemq; & difficilem respirationem excitant. Idcircò intra corpus propinari non debet, quia malitia ejus vix corrigibilis.

Usus.

Mala ex hyoschyamo.

CVRATIO perfici debet Vomitione & per Clysterem acrem alvi subductione. Ad vomitionem autem juvabitur assumpto priùs hausto *aq. Juniperi*, Clysteri verò admisce *ol. ruthæ*, bibendumq; offeratur *lac*, in quo *castoreum & ruta* sunt incocta, bibatq; crebrò *Vinum Absynthite.* Antidota sunt ʒij *Ther. Androm.* aut *Mithridaticæ confectionis*, aut *guttæ vij ol. angelicæ* aut ℈ij *coaguli hædini cum vino*, & si hæc desint, exhibeantur ʒij *piperis longi cum vino.*

ἐυπόριστον.

Psyl-

Psyllium quid, quæ excitet Symptomata, & quibus eisdem medicandum remediis.

Psyllion Psyllenkraut / Flohsahmen / quia pulicibus similia sunt semina, nominantur, In myropoliis, seminibus tantùm utimur, ex quibus in *aq. Rosarum* aut alio liquore maceratis *mucago* seu lentor conficitur, qui unguentis refrigerantibus & Epithematis in febribus & calidis affectionibus utilissimè commiscetur, quo si spina dorsi & hypochondria inungantur, febrilem calorem sensibiliter mitigant. Idem lentor sive mucago, si per se illiniatur, faucium linguæq; ariditatem ac scabritiem lenit, & sitim compescit. Quin & in febribus ardentissimis mucago psyllij cum tantundem syrupi violarum utiliter exhiberi potest: Calorem enim febrilem extinguit, alvum emollit, & bilem educit, præterea si mucago ex integris & non contusis seminibus parata exhibeatur, dysenteriæ, & alvi fluori ex assumptis calidis remediis & violenter purgantibus, ut sunt Scammonium, colocinthis, Euphorbium, excitato, probè medetur. Verùm si pulvis vel contusum semen intra corpus assumatur, sua substantiali venenata qualitate & summa caliditate, quæ est in medulla seminis, ventriculum & intestina exulcerat, jecur & universum sanguinem inflammat; cautè autem & ipsa mucago, & cum certa mensura exhiberi debet intra corpus, aliàs totum corpus refrigerat, mœrorem infert, & alvi intumescentiam, Spiritus interceptionem & cordis anxietatem, quam sudor frigidus cum gelida morte subsequitur.

Psyllium.

Vires mucilaginis Psyllij.

Cautelæ.

NB.

CVRATIO Symptomatum ex Psylio in evomitione

cum

cum aq. Juniperi assumpta & cum alvi subductione per Clysterem, cum ol. rutæ & decocto absynthij & centaurij consistit. Deinde prodest *Vini meracioris* crebra potitatio. Antidota sunt *Theriacæ Androm.* ʒij *aut* ʒj *pul. Vincetoxici cum vino assumpti.*

Antidota.

Coriandrum quid, quas inferat noxas, & quibus eisdem succurrendum remediis.

Coriandrũ venenatũ.

Κορίανδρον Koriander herba fœtida est, Cymicum enim animalium fœdum odorem refert vel spirat, dum viridis est, & tota substantia venenata est, semen autem ejus maturum & exiccatum adeò non est venenatum, ut & odoris suavitate, & saporis gratitudine ventriculo & cerebro esitatum prosit, ideo saccharo incrustatum, si post cibum assumatur, cerebrum corroborat & evaporationes ex ventriculo prohibet. *Herba autem & succus superficialis herbæ humidit. ac frigidit. ac fœdo odore capiti est inimicissimus.* Herba itaq; & succus intra corpus assumptus vocem exasperat & rationem perturbat.

Seminis commoda.

CVRATIO Symptomatum ex Coriandri succo est evomitio, assumpta priùs aqua tepida cum oleo anethi. Antidotum verò ejus est Theriaca Androm. Si ejus ʒ duæ cum vino assumantur.

Mandragora quid, quæ inferat Symptomata & quomodo ea curanda.

Mandragora.

Mandragora Αὐτρυὴν est herba radice crassa & bifurcata, foliis Lactucæ similibus, in *Germania* quidem ignota, sed *Italia* præsertim circa *Garganum montem* copiosè nascens; & quia radix ejus est bifida & tanquam in duo crura

crura divisa; Hinc antiquorum quidam eam ἀνθρωπόμορφην appellarunt, & impostores quidam circumforanei credulæ plebeculæ persuaserunt, Mandragoræ radicem homunculi imaginem habere, pilis in capite & circa pudenda ornatam, & deinceps conformarunt hominis imagunculam ex radice brioniæ, cujus capiti & circa pudenda semina mylij perforando inseverunt, & eo usq; terrâ cooperuerunt donec germina mylij prodiissent instar pilorum. Has imagunculas, mulierculis & aliis credulis pro Mandragora grandi pecuniâ vendiderunt, & jura mento affirmarunt, hujus radicum possessores nunquam egere pecunia, sterilesq; fœcundos fieri, & in quibuscunq; haberetur ædificiis veneficia & Dæmoniorum præstigias & tempestatum noxam nihil nocere posse. Harum sceleratarum nugarum occasionem sumserunt *ex lib. 7. c. 25. Josephi* Bellum Judaicum describentis, qui cujusdam radicis *Baaras* vocatæ, & instar flammæ fulgentis meminit, ac asserit *eam non posse sine vitæ periculo evelli, sed circumfossam canis vinculis alligari, & à cane tandem evelli, canemq; statim interire, tandemq; ab hominibus à canis collo recipi.* Hæc audientes impostores suas nugas de mandragora mendaciis amplificarunt, & radices suas Mandragoræ sub patibulis ex semine aut urina vel lotio furum in strangulatione perfusa nasci, & inde homunculi effigiem acquirere. Radices Mandragoræ *ex monte Gargano* vehementer refrigerant, & somnum conciliant, quæ intra corpus assumptæ, aut pomis ejus devoratis, Veternum & profundissimum somnum Lethargo similem inferunt, ac tristitiam & amentiam excitant, ita ut æger ex profundo somno excitatus vociferetur, ac sta-

Impostura ex hac radice.

Noxæ.

tim iterum indormiscat, præterea facies intumescit & oculi prominent, & nisi maturè occurratur, in vitæ discrimen æger conjicitur.

Curatio. CURATIONIS Methodus est, ut primum vomitio excitetur, præsumpto hausto *aquæ Juniperi per descensum destillatæ*, ac tandem alvus subducatur, *Clystere acre ex hydromelle & oleo rutæ* confecto, deinde ut excitetur *Sternutatio inserto Errhino, ex radice Gentianæ formato*, naribus, aut inserto pulvere naribus *ex Castoreo, pyretro & Majorana* concinnato. Caput præterea circa futuram coronalem & tempora inungantur *Ol. rosarum & aceto Rosaceo simul mixtis*: Odor quoq; *aceti acerrimi* subinde naribus applicetur, & bibat crebrò *vinum absynthites*. Antidota Symptomatum Mandragoræ sunt *Theriacæ Androm.* ʒij *cum vino aut pulvere ex castoreo & scordio & ruta ana* ℈j *cum vino*.

Opium. Papaver.

Opium & Papaver quid, quæ inferat Symptomata. & quibus remedijs curanda.

Μηκώνειον, Opium est succus papaveris. Papaver enim μήκων Mahn oder Mahnsadt nominatur, cujus sunt duæ species à seminum colore, alba & nigra, quæ etsi inter venenatas res numerantur, tamen nec semen albi nec nigri papaveris venena esse deprehenduntur, cum in *Austria* & *Styria* ejus semina & nigra & alba in cibis cum pane recenti ad ʒiij aut iiij à rusticis esitentur & *ol. ex semine papaveris expressum* in cibis quotidiè utantur, nec inde aliquid mali percipiant aut somnolentiores efficiantur. Capita verò papaveris præsertim cum nondum sunt exiccata, vehementer refrigerant, & somnum con-

Nullum papaver veneno contaminatum.

Usus Capitum papaveris.

conciliant, ideò in calidis morbis instar cataplasmatis cocta & contusa capiti applicamus, aut lavacra pedum ac manuum ex eis paramus. Opium autem est præsentissimum venenum, & fit ex incisis adhuc virescentibus capitibus papaveris, ex quorum cæsura succus emanat, qui collectus aut in sole aut in loco calido in massas condensatur & odore & sapore horribili. Utimur Opio in unguentis somnum conciliantibus in exigua quantitate admixto, ut si recipiatur *Opij* ʒß. & in minutas partes concisum *cum paxillo aceto rosaceo* ad ignem dissolvatur, eidemq; admisceatur *ung. populei* ʒij fit præstantissimum Unguentum somno conciliando in continuis vigiliis, sed quia hac ratione conciliatus somnus laboriosus est, eo non temerè est utendum, nisi extrema urgeat necessitas. Ego verò usus sum *opio* felicissimè *in Dysenteria* & cruciatibus intestinorum hac ratione. Formavi ex opio glandem cum filo appenso, quàm crebrò pervices podici inserui & post quadrantem horæ extraxi ac iterum inserui, donec tormina & fluor alvi conquiescerent. Per os autem intrà corpus exhibere nunquam sum ausus: In compositis verò medicinis, quas *Opiatas* vocant, exhibui, sed non nisi summa urgente necessitate, & ubi vigiliæ vires debilitarunt, aut extremi dolores hominem cruciarunt. Sunt autem *opiata remedia*, quæ in Myropoliis prostant *Elect. Philonij Zazenea*, *Requies Nicolai*, *Triphera magna & Triphera Sarracenica*, quæ sanè remedia non temerè sunt exhibenda, nisi summa necessitas expostulet, adhibita prudenti circumspectione. Opium sive per se, sive in mixtis medicamentis imprudentiùs assumptum, hæc symptomata pernitiosa infert; statim

Opium ut fiat.

Usus opij.

Unguenta somnifera.

Usus opij in dyssenteria & colica.

Autor usu opij interno abstinuit.

Opiata in officinis.

Sympto-mata ab Opio. sanguinem & spiritus vehementer refrigerat, & somnum profundum, ac ferè inexcitabilem inducit, quam unguium lividitas, anhelitus frigiditas, maxillæ inferioris laxatio & labiorum intumescentia subsequitur, ac tandem singultus, sudor frigidus & violenta mors.

Curatio. CURATIO ut ferè in omnibus venenatis affectionibus, ita in symptomatibus ex opio, consistit in tempestivae vomitione, præhausto *vino in quo cortices radicum juglandium* sunt incocti, & in subductione alvi cum *Clysteribus & hydromelle*, in quo cocta sunt *Centaurium minus, ruta, Scordium & Castoreum cum oleo Castorei*, Tandem sudor proliciatur assumpto *antidoto Theriacæ* ℥ij *Sternutatio* quoq; cum pulvere exiguo *Euphorb. Majoranæ* naribus indito excitata plurimùm confert. Sutura verò coronalis & tempora inungantur *oleo castorei* cum *aq. Juniperi per ascensum destillatæ* dilato, ægerq; subindè excitetur è somno naribus admoto nodulo *ex castoreo & pauxillo Euphorbij in aceto acerrimo macerato.* Antidota præter *Theriacam*; plurimùm confert crebrò exhibere duo cochlearia *aq. Juniperi per ascensum destillatæ aut gutt. vij olei Angelicæ aut gutt. Xiij ol. Vitrioli cum vino generoso.*

Fungi. ## *Fungi quid, quæ eorum symptomata & quibus remediis curanda.*

Μύκητες *Boletum.* Fungorum plura sunt genera: Alij enim ex terra, alij ex caudicibus arborum pronascuntur & extuberant, & eorum alij rursum sunt esui apti, alij verò venenati atq; mortiferi. Esui apti sunt quoq; nostrates Prisschen & Pfifferlinge nominant, Venenatos autem genetali vocabulo omnes Poggenstöle, Fungos

Dioscor-

Dioscorides inter plantas recenset, sed cum nec folia nec radices nec semina proferant, qua ratione inter plantas recensentur, nescio. Gulæ luxuries fungos quoq; inter alimenta recipit præsertim in *Italia* & *superiori Germania*: Præstaret tamen nunquam fungis vesci, cum tamen inter salubres fungos venenati reperiantur, & *omnes sunt mali & tenacis succi.* Fungorum symptomata sunt vehemens capitis dolor, oris ventriculi coarctatio, respiratioois difficultas, singultus, frigidus sudor, anxietas, ventris & faciei intumescentia, quandoq; colici dolores ac postremò suffocatio.

Fungis abstinuisse salutare.

Noxæ.

Curatio symptomatum ex fungis consistit in matura evomitione, fungorũ commestorum præsumpto *hausto vini, in quo cortices radicum Sambuci macerati & incocti sunt*, & subductione alvi *cum acri clystere ex decocto Scordij, rutæ Valerianæ addito ol: rutæ & hyera simplici.* Bibat quoq; æger crebrò *vinum absynthite*, quod quovis tempore per macerationem facilè parari poterit. Offerantur etiam crebrò *radices Raphani & nuclei allij.* Antidota fungorum sunt ʒij *Theriacæ Androm: cum hausto vini, aut* ℈j *ol. absynthij destillati, cum vino; aut ol: Cimini* ℈j *aut salis absynthij* ʒs. *aut* ʒj *pul: stercoris gallinarum* ʒj. *cum vino assumpta.*

Curatio.

Stercus gallinarum.

SECTIO TERTIA.

DE VENENIS EX METALLORUM & Mineralium familiâ Oriundis.

EX FOSSILIUM GENERE QUÆ *Venenata habeantur.*

INter res, quæ ex cavernis montium eruuntur, venenatæ sunt omnes materiæ, ex quibus *metalla & mineralia* excoquuntur, & *lapides plerique* sive metallorum lapideæ materiæ generali vocabulo, Græcis μεταλλεῖς *Germanis* Ertz oder Gießstein nominantur; & tot sunt Pyritum species, quod & Metallorum, quæ inter se colore tantùm differunt: aliæ enim aurei coloris, aliæ argentei, aliæ ferrei, aliæ cinericei sunt. Pyritem auri Goltgeiß/ Golt Ertz. *Chimici Arabito vocabulo Marcasitam,* nostri Gülden oder Goltertz vocant. Ex hisce lapideis materiis coquuntur omnia metallorum genera, nunquam enim in montibus purum & putum reperitur metallum, excepto *auro* & *argento* & *mercurio*, quorum nonnunquam surculi puri effodiuntur. Sunt itaque metalla ex pyrite sive lapideis materiis ignis violentia excoctæ massæ, quæ in igne colliquantur fluidæque redduntur, ut malleis extendi ac formari possint. Metallorum species septem sunt, quæ à *Chimicis* septem Planetarum nominibus ornantur, qui quidem aurum solem, argentum Lunam, æs sine cuprum Venerem, stannum Jovem, ferrum Martem, plumbum Saturnum, & hydrargiron, sive argentum

Marcasita.

Metalla quid

Metalla 7

tum vivum, Mercurium vocitant. Ex quibus per præparationem venenatæ fiunt, materiæ sive res, ut ex auro & argento Lythargirium & Lazurum, Ex ære, æs ustum & ærugo sive æs viride Ex ferro fit crocus Martis, ex plumbo ceruſſa, Ex argento vivo Mercurius ſublimatus & præcipitatus, & per additionem Sulphuris fit cinabrium ac minium. *Venenata ex metallis*

Mineralia ſunt etiam terreſtres & lapideæ materiæ è terra & montibus erutæ, quæ etiam ſi in igne diffluant, diu tamen violentiam ignis ſuſtinere nequeunt; ſed vel aduruntur vel in aliam formam convertuntur, & malleo extendi formariq; minimè poſſunt, Mineralium primariæ ſpecies ſunt *Sulphur Antimonium, Calchantum ſive vitriolum, Arſenicum, Auripigmentum, alumen, gypſum, Nitrum, borax.* Lapides venenari qui è viſceribus terræ eruuntur ſunt lapis Armenius, *Lapis Lazuli, Lapis magnes, Lapis calaminaris.* Etſi autem metalla & mineralia excepto auro & argento purificato omnia ſunt venenata, tum propietate ſua, tum præparationis ac miſtionis ratione, tamen ſunt ſubjectæ materiæ artis nobiliſſimæ *Chimices*, cujus artificioſa operatione, & ignis moderatione ex ijſdem rebus ſaluberrima remedia ad curandos morbos difficiliores eliciuntur, eaq; aut ſub forma oleoſi liquoris, quem *Spiritum* artifices vocant, aut in formam aquei liquoris, quem illi *quintam eſſentiam* nominant, aut in forma calcis pulveriſq;, quem *ſalem* illi vocant, de quibus nos Deo auxiliante, eorum q; præparandi & adminiſtrandi ratione *in noſtra Iatrochimia* fuſius tractaturi ſumus. Sicuti autem omnium corporum mixtorum, ita & metallorum & mineralium principia, 4. Elementa eſſe ſtatuimus, minimè *quot?*

Lapides Venenati.

☥ *hæc omnia cum grano ſalis accipienda.*

Encomiū Chimiæ ab effectu.

Morte præventus hanc non abſolvit Autor.

℞ ☥ ♃

Metallorum Origo ex Elementis.

minimè obstante, quod veteres *Philosophi ac Chimici* principia omnium metallorum ac mineralium duo constituerunt *Sulphur & hydrargirum* & ex horum varia commistione, puritate & impuritate, & coctionis ratione metalla cùm perfecta tum imperfecta, & mineralium species in montium visceribus generari asseruerunt, & hinc sumpta occasione *Paracelsus* adversus omnes Medicos negat Elementa mundi esse corporum principia, sed tria alia commentus est: *Sulphur, Salem & Mercurium sive argentum vivum.* Quibus discipuli ejus addiderunt quartum, *Spiritum videlicet* in hisce tribus contentum, & ex iis quatuor principiis asserunt omnia componi; & omnia in eadem resolvi, & vocant quidem illi Sulphur, quicquid è rebus in igne in vaporem resolvitur: Salem verò quicquid in igne in cinerem sive calcem convertitur. At sanè eâ ratione Sulphur in corporibus non erit aliud, quàm ignis, nec Mercurius aliud quàm aqua: Sal verò, sive calx quid aliud erit quàm terra? Spiritus autem in hisce tribus aeris rationem obtinet, & ita tota contentio *Paracelsorum* de principiis rerum nil aliud erit, quàm *fatua λογομαχία.* Nunc tempestivum est fossilia venenata ordine recensere.

Hæc paulò acutiùs perpendunt Chymici sanio res.

Tabella Venenatarum rerum fossilium.

METALLA sunt.

Anrum, *Chimicis*	☉	Argentum	☽
Æs sive cuprum	♀	Plumbum	♄
Ferrum	♂	Argentum vivum	☿
Stannum	♃		

Ex

Ex Metallis Venenata res sunt.

Auriſpuma vel Lithargyrium,
Laſurinus color ex argento,
Ærugo ex cupro,
Scorium ferri
Plumbum uſtum
Minium ex plumbo,
Mercurius præcipitat. ex Argento vivo.
Argenti Spuma,
Æs uſtum ex cupro
Crocus ♀ ex cupro
Crocus ♂ ex ferro.
Ceruſa uſta ex plumbo.
Mercurium ſublim. ex Argento vivo.
Cinabrium ex Argento vivo & Sulphure.

Mineralium Venenata.

Sulphur, Antimonium, Vitriolum,
Arſenicum, Auripigmentum, Alumen,
Nitrum, gypſum, Sal Armoniacum. Borax.

Lapides Venenati.

Lapis Armenius — Lapis Lazuli
Lapis Magnes — Lapis Calaminaris.

Aurum quid, quæ ejus facultates.

Aurum Cor metallorum. Chymicorum opinio.

Χρύσος *Chimicis* ☉. Non ſolum inter reliqua metalla, verùm etiam inter omnia corpora inanimata nobiliſsimum & pretioſiſsimum teſte *Pindaro in Olympiis Hymno. 1.* Eſt autem aurum metallum ſplendore ac nitore amabile, ex æquali pondere argenti vivi puriſsimi & ſulphuris rubri defecatiſsimi conſtans, in montium viſceribus calore cum nativo tum alieno per multa ſe-

Symphatheia Auri cum Mercurio.

cula generatum. Aurum cum argento vivo insignem habet συμπαθειαν, omnia siquidem metalla quamvis ponderosa in argentum vivum imposita supernatant: aurum verò etiam quantitate grani milij impositum statim mergitur & argenti vivi colorem induit. Duplex

Aurum duplex nativum & excoctum.

ut paulò antè diximus reperitur aurum, nativum & per se in montibus generatum gedygen Golt, quod in Orientalibus partibus & montibus *Arabiæ*, item ex rivulis inde effluentibus, fluminibusq; inter arenas creberrimè reperitur. Aliud verò aurum ex lapidea materia sive pyrite fusoria vel Chimica arte excoquitur. Mirum est *Græcos* autores de facultatibus auri nullam feciſſe mentionem; *Arabes* autem frequentissimè. In auro igne excocto ac defœcato adeò nulla ineſt venenata qualitas, ut etiam ex eo cùm à veteribus tum recentioribus *Chimiæ Magistris* omnium nobilissima & saluberrima conficiantur remedia, ac potissimùm liquor, quem *aurum potabile*

" vocant, cui tantas tribuunt vires, ut si vera esset eorum prædicatio de auro potabili & posset facilè parari vel levi pretio comparari, nulla alia in curandis morbis mortale genus egeret medicina: aiunt enim auri potabilis

Aurum potabile quibus scateat viribus.

virtute omnia morborum genera facilè curari, vitam hominum ad multa secula produci, decrepitis juvenilem formam & robur restitui posse, & deploratos quosq; morbos, quales sunt *lepra, carcinomata, Apoplexia, Epilepsia paralysis, hydrops & podagra*, eodem solo tolli. Verùm cum ego tale quid nunquam fuerim expertus, nec audiverim quempiam propriâ experientiâ comprobasse; nisi quod eorum scripta hujusmodi, de auro gloriatio-

" nibus sint referta, atq; cum hunc liquorem propter ejus cari-

caritatem & precij magnitudinem non nisi Imperatoribus, Regibus & opulentissimimis Principibus usurpare liceat, & præterea cum præsenti anno 1577. *Romanum Imperatorem Maximilianum secundum & Fridericum Electorem Palatinum*, & paucis ante annis *Joachimum secundum Marchionem Electorem*, qui omnes Chimiæ artifices magnis impensis aluerunt & auro potabili abundarunt, & tamen nec industria artificum nec Virtus auri potabilis eorum vel morbos tollere, vel senij molestias mitigare potuit; quid de eo & artificum prædicatione, mihi certi polliceri queam, non video: Nolim tamen prorsus ex auro parata remedia damnare, sed tantum detestor impostorum impiam & fraudulentam temeritatem, qui plus promittunt, quàm præstare possunt Qua autem ratione aurum in liquorem potabilem resolvi debeat & quæ cætera remedia utilia ex auro artificiosè confici queant *in nostra Iathrochimia* fidelissimè docebimus.

Argentum quid, quæ ejus Vires & Venena.

Argentum

Ἄργυρος Chimicis ☽ est metallum puritate & nobilitate proximum auro, cujus vena sive materia, sicuti aliorum metallorum omnium est sulphur impurum & incoctum & argentum vivum paulò purius. Argentum veluti & aurum aliud est nativum, quod per materiam lapideam nonnunquam instar capillorum vel telarum aranearum spargitur, vel instar cujusdam stirpis aut animalis expanditur, visuq; percipitur. Tale argentum nostrates **Gedienſilber** nominant. Aliud ex Pyrite seu materia lapidea coquitur, quod factitium di-

duplex nativum & excoctum

citur. Materia verò argenti vario conſpicitur colore, alia enim rubeum colorem carbunculi, gemmæ ſimilem habet, quod Poderтz nominatur, alia cinericeum ſeu plumbeum, quod Grawertz & Bleyfarb/ Silbererтz nominatur. Nec argentum nativum nec factitium (niſi fortè Venere prægnans ſit) per ſe venenata qualitate eſt imbutum, & parvum habet in arte Medica uſum: Præterquam quod ex eo inſtrumenta quædam parentur, & utenſilia vaſa: ſed poteſt ex argento venenatum quid Chimica arte confici, veluti eſt cæruleus color, quem Laſurinum vocant Blawfarb, de quo paulo poſt.

Uſus ejus in affectionibus capitis inſignis.

Cuprum quid, quæ ejus Venena & quæ inferant: ſymptomata, quibuſq; remediis iisdem ſuccurrendum.

Cuprum.

Χάλκος æs ſive cuprum *Chimici* ♀ *Germ.* Kupffer. Æris vocabulum ſæpe pro pecunia & aliis metallis indifferenter uſurpatur, ſed propriè pro eo metallo, quod vulgus cuprum appellat, ſumitur. Ejus vena ſive materia lapidea conſtat ex æquali ferè portione Sulphuris & argenti vivi ſed impuriſsimi & non ſatis in terræ viſceribus cocti, unde ſumpta occaſione *artifices Chimiæ Chryſopoeticæ* improbi & ſemper egeni ſe gloriantur cuprum facillimè in aurum purum & argentum transmutare poſſe, quod tamen nunquam præſtant. Materia ſive vena aupri generali vocabulo pyrites, noſtri Schifferſtein & Kupfererтz vocitant, ex qua æs coctum, etiam defæcatiſsimum, retinet tamen venenatam qualitatem, quæ & eſculenta & potulenta præſertim quæ aceto aut vino condiuntur aut cereviſia, ſi in vaſis cupreis aut coquan-

Scilicet impoſtores, qui alienam pauperta-tem ægrio ferunt, quàm propriam, de genuinis,

quantur aut diutiùs ſerventur, venenato ſapore & qualitate tinguntur, & intra corpus aſſumpta, nauſeam, vomitiones, ariditatem linguæ & eroſiones ventriculi excitant. *artificibus aliud judicium.* *Noxæ ex cupro.*

Curanda autem hæc ſunt ſymptomata, ſubita evomitione ciborum aut potuum infectorum, aſſumpta prius *aqua tepida cum oleo olivarum.* Deinde & alvus acri *clyſtere* eluatur, ac poſtea *lac* crebrò potandum ægro exhibeatur. Antidota ejus ſunt ʒij *Theriacæ Androm. aut* ʒij *Boli Armeni cum hauſtu hydromellis* exhibitæ. Ex cupro aliæ quoq; res & medicamentoſæ & venenoſæ *arte Chymica* conficiuntur, ut ſunt *Crocus ſeu flos ♀ ſquama æris & æs uſtum*, de quibus paulò poſt tractaturi ſumus. *Curatio.*

Aurichalcum quid, quæ ejus venena. Quæ vè ejus remedia.

Aurichalcum.

ὀρείχαλκον q. d. montanum æs, *Latinis* Aurichalcum Meſſinck non eſt aliud quàm cuprum, ſivè æs per crebram liquefactionem ſubinde admiſcendo *apid. calaminarem*, & ita defecando puriſsimo colore aurum mentiens Aurichalcum aucem eandem in ſe retinet virulentiam, & cibis potionibusq; avidis in eo coctis communicat, quam cuprum habere dicitur & iisdem remediis, Symptomatibus ab aurichalco conceptis, ſuccurrendum eſt, quibus & veneno. *Noxas cuus cupro habet cõmunes.*

Stannum quid, & quæ Symptomata ex ſtanni veneno excitentur, quibusq; curanda remediis.

Κασσίτερος ſtannum & plumbum album, *Chimicis* Juppi- *Stannum ſeu plumbum albũ.*

Juppiter. Noſtratibus Zynn. Plumbi ſpecies duæ ſunt, Plumbum album quod ſtannum eſt, & plumbum nigrum, quod proprie plumbum dicitur. Ejus pyrites ſeu rudimentum lapideum conſtat ex argento vivo perparum purificato & ſulphure impuro & nondum cocto, quæ ſtanni materia Græcis μόλυβδένα Latinis plumbago vel Galena metallorum, foſſoribus verò Lentz oder Zinertz nominatnr. Stannum defæcatum minus eſt venenum, quàm plumbum, ideoq; ejus uſus frequens eſt ad conficienda vaſa utenſilia propter argenteum nitorem. Intra corpus aſſumptum eadem quæ plumbum infert ſymptomata, & eisdem remediis curanda ſunt. De plumbo autem & ejus virulentia & quæ venena ex eo parentur paulò poſt diſſeremus.

Plumbago.

Ferrum quid, & quæ ex eo venena.

Ferrum Chalybs.

Σίδηρος *Chimicis* Mars, ferri purior duriorq; ſpecies, Latinis Chalybs nominatur. Vix ullius alterius metalli in rebus & actionibus hominum major eſt & amplior uſus & abuſus quam ferri. Ferri Vena ſeu lapidea materia conſtat argento vivo. Ferrum excoctum per ſe venenatum non eſt, parantur tamen ex eo & medicamenta ſalutaria præſertim ex ſcoria ferri, & medicamenta venenata, qualis eſt *Crocus Martis* ſive flos ferri de quibus paulo poſt.

Ferrum per ſe non venenatum nec ille venenatus.

Plumbum quid, & quæ ejus vires.

Plumbum nigrum.

Μόλυβδον *Chimicis* Saturnus. Duplex eſt, ut paulò ante diximus ſpecies plumbi, album & nigrum. Plumbum nigrum, metallum eſt, ex multo impuro & terreſtri

stri argento vivo & pauco impuro & rudi sulphure in visceribus montium concretum. Plumbi vena sive materia Græcis μολυβδένα lapis plumbarius Bleyertz nominatur qui vario conspicitur colore, alius enim Cinericeus, alius luteus, alius ceruleus pro diversitate lapidis in quo hæret tinctus. Ex plumbo venenatum fit plumbum ustum, quo figuli ad illinienda & vitreanda sua fictilia utuntur. Conficitur arte ex plumbo & ceruſſa Chirurgicum remedium, de quo paulò post. De plumbo autem rudi excellentissimum Linimentum conficitur ad ferventes & inflammatos tumores, qui vel in tibiis ut in igne sacro, aut in pudendis aut in ano ut in hæmorrhoidibus cæcis aut in mammis mulieribus exoriuntur, quod hac ratione parari potest: Formetur mortariolum & pistillum ex plumbo nigro, in quod infundatur liquor aliquis refrigerans, quales sunt aut oleum Rosarum aut violarum, aut albumina ovorum, aut succus plantaginis aut mucago ex seminibus Psylij cum aq. rosacea, facta, pro arbitrio utentis, quæ cum pistillo plumbeo tantisper agitetur, donec liquor nigrescat & instar unguenti crassitiem consequatur, quod linteolis excipiatur & locis inflammatis applicetur, statim enim dolorem sedat & ardorem omnem extinguit. Quibus autem mortariolum tale ad manus non est, hi liquores prædictos super lapidem cum globo vel massa plumbi tamdiu conterat donec unguenti nigri formam consequantur.

Linimentum ex plumbo in inflammationibus.

Argentum vivum quid, quæ excitet symptomata, & quæ eorum curatio.

Argentum vivum.

Ἀργυρος Latinis à colore argentum & à continuo motu

motu vivum, *Chimicis* Mercurius Queckſilber, Inter omnia metalla ſolum argentum vivum per ſe liquidum & fluidum eſt. Duplex autem reperitur argentum vivum, unum nativum quod & in montium cavernis ſponte confluit, ex ſua vena ſeu materia lapidea ob gravitatem ſuam proſtillans. Alterum factivum, quod ex materia lapidea, quæ inſtar terræ fragilis, & ex nigro rubeſcens, atq; inſtar plumbi ponderoſa eſt, per deſcenſum deſtillatur ex uno fictili vaſe in aliud. Igne ſuperpoſito in patenti area, ne videlicet noxam ejus fumus inferat. Materia argenti vivi, Græcis ἄνθραξ Lat. ven\ Minij ſive Cinabrij Queckſilbererꝛ vocatur. Argentum vivum tota ſua ſubſtantiâ & extrema frigiditate venenum eſt: quanquam plurimi Medicorum illud contra ſenſum & rationis judicium extremè calidum eſſe contendant, quorum ſententia ſi de argento vivo, violentia ignis denſato vel in aliam ſpeciem traducto, veluti eſt Mercurius præcipitatus & ſublimatus intelligatur, tum veriſſima eſt: non autem de crudo argento vivo. Argentum itaq; vivum intra corpus aſſumptum & foris corpori inunctum, aut fumo ejus membra imbuta, ſemper pernitiem & graviſsima infert ſymptomata. Intra corpus aſſumtum ſiſtando aſſumatur ſuo pondere & ſphærica figurâ paulò poſt ex ventriculo per meatus inteſtinorum inanum delabitur, & inde è corpore profluit, nec multum noxæ præterquam refrigerationem viſcerum infert, Inter cubandum autem aſſumptum ſi in aliqua cavitate partium diutius hæreat, calorem nativum & ſpiritum vivificum extinguit, & pernitiem mortemq; inferre poteſt, ſimiliter ſi per poros cutis cum aliis unguen-

Noxa.

guentis mixtum & inunctum, (quemadmodum tonsores hujus temporis scabiem Gallicam curare consueverunt) vel si ex ejus fumo ac vapore venenato partes corporis imbuantur, frigida sua qualitate sævissima infert symptomata, imprimis oris exulcerationem, dentium mobilitatem, ossis palati putrefactionem, nervorum contractionem & artuum tremorem, paralysin, sæpè & Epilepsiam, Apoplexiam & omniũ sensuum debilitatem, quemadmodum videre est in iis, qui argento vivo sunt inuncti, & in auri fabris qui crebrò tractant argentum vivum. Sunt tamen viri doctissimi, qui argenti vivi in aceto probè eloti & per tenue corium expressi ℈j intra corpus ad lumbricos enecandos & mulierculis difficultate partus laborantibus exhibere docent sine ulla noxa, sed id tentandum erit erecto corpore, ut suo pondere per anum rursum descendere queat, & semper argentum vivum non autem salivâ extinctum, quod intestinis adhæresceit, adhibendum est.

Cura luis Gallicæ per inunctionem hydragyrî periculosa.

Usus ejus in lumbricum.

CURATIO symptomatum argenti vivi per imprudentiam intra corpus assumpti est valida corporis commotio, qua argentum vivum per meatus intestinorum & anum profluere queat. Si autem alvus ex duris fæcibus sit obstructa, ita ut argentum vivum sponte effluere nequeat, *clystere ex hydromelle*, cui admixtum sit *sal nitrum & hyera picra* intestinis infundendum erit, aut si ista necessitas expostulet, devoranda præbentur *pill. aurearum* ʒj cum *Trochisc. Alhandal. gr. jv*, Expurgato argento vivo, ut ejus venenatæ qualitatis vestigium sopiatur, utile erit ægrotanti exhibere *Theriacæ Androm.* ʒ ij & ad sudandum cogere. Symptomata autem quæ ex

Curatio ex assumpto Mercurio.

fumo argenti vivi in corpore concitata, sunt tremor membrorum, debilitas articulorum, & paralysis; Curabuntur crebra sudoris profusione *in balneo sicco sudorifico*, & post sudorem confricatione partium languentium *cum sacculo vino incocto*, cui insutæ sunt herbæ facultatem habentes poros cutis aperiendi & nervos corroborandi, quales sunt *Salvia, Chamæpithis, Betonica, & Lavendula cum baccis Juniperi.* Confert quoq; plurimùm si æger *haustulum vini* ebibat, in quo *folia & frondes Rorismarini, Stœchados Arabicæ, & centaureum minus incocta sunt.* Symptomata verò quæ ex inuncto argento vivo à perfidis tonsoribus præsertim *in curatione Gallici morbi* introducta sunt, aut Cinobrij venenati fumigatione excitata, ut sunt capitis continui cruciatus, languor & imbecillitas artuum, sensoriorum omnium labefactatio & insanabilia ulcera. Nullum est præsentius ac salutarius remedium, quàm methodica curatio nostra cum duabus nobilissimis radicibus *Chinæ & Sarmenti Indici* decoctis, quæ curatio earumq; radicum præparatio & usurpandi ratio, incuratione morbi Gallici à nobis fideliter est proposita. Porrò paulò ante quidem diximus principia sive elementa metallorum juxta *Chimicos, qui se solos Philosophos esse jactitant*, esse argentum vivum & sulphur, verùm minimè putandum est eos de argento vivo & sulphure, quæ in myropoliis habentur loqui; Sed de materia simplicissima Sulphuris & Argenti vivi, quæ sunt purissima, & instar vaporis in montium cuniculis elevantur lapidibusq; adhærent, commiscentur & concrescunt. Quemadmodum nec nos ubi de elementis differimus, illa elementa quæ sensibus nostris sunt objecta intelligimus, sed simpli-

Curatio ex fumo ejusdem.

Curatio ab inunctione ejusdem.

quomodo Elementa i.e. principia

simplicissima illa, quæ non sensu sed ratione tantum in mixtis corporibus comprehenduntur & potentiâ singulis Elementis insunt. Talis autem vapor sive principium argenti vivi & sulphuris veri duplex est, alius siccus, qui materia est sulphuris alius udus aquæ simplicissimæ similis, ex quo argentum vivum per decoctionem multorum seculorum in montibus generatur. Ex his duobus principiis tandem pro ratione & qualitate, puritate & impuritate lapidum, quibus adhærescunt & insinuantur, generantur tum pura, tum impura metalla.

pia rerum sint consideranda.

Ex metallis, ac primum ex auro, quæ fiant tres venenatæ, præparationes.

Ex auro nulla fit venenata materia, est enim per se purissimum metallorum, nisi forte per accidens exigno rantia *Chimistarum aurum potabile* venenatum reddatur, quod aurum potabile *Chimiæ Professores* miris modis prædicant & præferunt omnibus in universum remediis in morborum difficilium Curatione, atqui pauciſsimi sunt artifices, qui sine venenatis liquoribus aurum fluidum reddere queant, sed necesse habent, ut primum *cum aqua forti* in pulverem resolvant, & ita in liquorem redigant. Manet autem in ipso auri liquore semper venenata *aquæ fortis* qualitas, quæ nisi debito modo ab aureo liquore in totum separatur, quod nunquam aut rarissime fit, impossibile est aurum illud liquidum intra corpus sine noxa assumi posse, Proinde cavebunt ipsi Principes & opulentiores, (nam pauperes tuti sunt ab eo veneno) vel hujusmodi Chimicorum impostura ac

Aurũ per accidens venenatũ redditur.

facile est sine venenato liquore aurum liquidum dare.

veneficio. Nos auri potabilis conficiendi rationem *in nostra Iatrochimia* describemus.

Ex argento quæ fiant res venenatæ.

Ex argento duæ utilissimæ res præparatione conficiuntur, utræq; tamen intra corpus assumptæ venenatæ & pernicioſæ habentur, de quibus singulis seorsim brevissimè dicam.

Cæruleus color quid, quæ inferat symptomata, & quibus curanda remediis.

Color Lasurinus. Præparatur color amœnissimus, pictoribusq; gratissimus cœruleus ex argento, qui a *Græcis* non est descriptus, Pictores enim Lasurinum colorem, Latini cœruleum nostri Laſerblaw vocant, qui hac ratione paratur. Argentum malleo extenditur in bracteas sive laminas, quæ obliniuntur Linimento ex argento vivo facto, & exiccatæ laminæ in ollam vitreatam aceto vini acerrimo semiplenam, in quo aceto antea resoluta sunt *Sal Armeniacum & Tartarus* in calcem redactus, suspenduntur, ita tamen ne argenti lamina acetum attingat, sed tantùm in obtecta olla vapore ejus maceretur, idq; ad dies 14. Deinde excipiuntur argenti laminæ in quarum superficie hæret *color Lasurinus*, qui colligitur abraditurq; à laminis, & rursum argento vivo inunguntur, ac in vapore aceti macerantur, donec lamina argenti in colorem dictum vertatur. Fit quoq; Cœruleus sive Lasurinus color ex *lapide Lasuli*, de quo paulò infra dicturi sumus. Materia hujus Lasurini coloris cùm propter argentum

gentum vivum, tum propter vaporem aceti medicati & cum *sale Armeniaco* mixtis venenum est, & si per imprudentiam intra corpus assumatur, erodit ventriculum & intestina & nervos debilitat, respirationisq; difficultatem infert. In horum Symptomatum curatione prodest primò evomere materiam coloris præsumto hausțulo *aquæ Juniperi per descensum destillatæ.* Deinde affatim crebrò edendum afferatur *recens butyrum*, bibendum verò *Vinum optimum*, in quo coctæ sunt *frondes Rorismarini.* Antidoti loco utile est Theriaca Androm. ʒij assumere & cum ea sudorem provocare.

Damna ex colore Lasurino assumpto.

Cura.

Spuma argenti quid, quæ inducat Symptomata & quibus remediis curanda.

Spuma argenti.

Lythargyrium cum adjectione *auri* vel *argenti* cum tamen una & eadem res sit, & non nisi splendore coloris albo vel rubeo distinguatur, nostrates Silbergliedt nominant. Est autem spuma argenti lapidea materia in excoctione, separatione & purificatione argenti, in fornacibus ex plumbo nigro & pyrite liquefacto, simul mixtis conflata. In separatione enim argenti, ut commodiùs liquefiat materia & fluidum magis reddatur argentum, plumbum nigrum ut plurimum admiscetur: Magnus usus est spumæ argenti in Chirurgicis curationibus, refrigerat enim exsiccat & consolidat ideoq; emplastris miscetur, & Emplastrum in myropoliis *Triapharmacum* sive *Brutenicum* Brunzuch *ex oleo & pul. lythargyri ex aceto conficitur.* Intra corpus assumptum lithargyrium venenum est, & hæc infert symptomata: *calorem nativum & spiritum vitalem extinguit, sanguinem in venis &*

Origo ejus

Usus.

Noxa

nis & arteriis condensat, respirationem intercipit & facultatem motricem artuum opprimit, ventriculi concoctionem tollit, & corpus totum livido colore tingit.

Curatio

CURATIO horum symptomatum consistit primum in valida alvi subductione per *acre Clysma ex decocto Centaurei min. pauxillo colocinthidis*, cui admixtum sit *ol. rutæ & hyera picra* factum: Per vomitum enim argenti spuma propter ejus ponderositatem per superiora expelli nequit. Ideò eò crebriùs clysteribus est utendum. Deinde confert butyrum recens crebrò & affatim esiratum. Item *ol. amygdalarum cum tepida Cerevisia* subinde bibitum. Utilissimum quoq; est sæpè gustare *aquam Juniperi per ascensum destillatam*, quæ vim habet *Vini sublimati*. Antidotum Lythargirij est *Theriacæ Androm:* ʒij *cum vino generoso aut ol.* myrrhæ aut angelicæ ℈ j. aut ol. vitrioli ℈ ß. cum vino.

Ex cupro sive ære quæ res venenatæ præparentur.

tria venenata ex ære.

Æs sive cuprum, ut paulò ante diximus per se est pernicioſum venenum, & suam virulentam qualitatem cibis & potionibus communicat, quæ in cupreis vasis vel coquuntur, vel conservantur diutius præsertim quæ sunt acida. Tres autem venenatæ res, si intra corpus sumantur ex ære parantur, quæ tamen extra corpus suas habent præclaras utilitates in arte medica. *Æs ustum, squama æris, & ærugo*, sive *viride æs*, de quibus singulatim breviter dicemus.

Æs ustum quid, quæ inferat symptomata, & quibus remediis curanda.

χάλκου πεπαυμένου, Æs ustum Chimicis *Crocus Veneris*, nostratibus gebrandt Kupffer / quod ita conficitur. Sumuntur Laminæ sive bracteæ cupri & obliniuntur Linimento *ex sale & aceto facto*. Quæ ubi exsiccatæ sunt in tegula aurificum concremantur, & candentes eximuntur, & in aceto acerrimo extinguuntur, iterum atque iterum Vnguento præscripto illiniuntur, uruntur q; : ita tamen ne in igne cupri laminæ liquefiant : donec in pulverem redigi queant, qui pulvis in calida aqua crebrò eluitur, ut omnem acrimoniam erodentem deponat, & tum utilissimus est, ad ulcera putrida persananda, expurgat enim ulcera, astringit & exsiccat & ad cicatricem ducit. Intra corpus autem assumptum ventriculum subvertit, concoctionem extinguit, & cruciatus intestinorum infert. *Æs ustum.* *Confectio Croci Veneris.* *Usus.* *Noxæ.*

CURATIO æris usti consistit in evomitione assumpto prius *ol. anethi cum aq. calida* commixto, ubi in intestina delapsum est æs ustum, *acris* quoq; *clyster* est adhibendus ex *ol. rosarum* & *decocto centaurei min.* Utilis quoq; est *butyri recentis & lactis* esitatio. Antidotum æris usti est *Terræ Lemniæ* ʒj. *aut corall. rub. præparat* ʒj. cum *aqua hordei* assumpta. Prodest forisimum ventrem subinde inungere *ol. Rosarum calida*. *Curatio.* *Antid.*

Squamma æris quid, quæ ejus Symptomata, & quibus remediis succurrendum.

Λέπις καλκοῦ, squamæ cupri seu æris, Kupfferschlag / oder Keßlbrun nostratibus. Sunt autem squammæ æris tenuissimæ laminæ ex superficie cupri igniti malleis percussæ ac discussæ. Pauciſsimi hoc tempore eo utuntur reme- *Squamma æris.*

Aqua æris ritè parata præsens in lumbricis remedium

æremedio, & non nisi eloto & probè præparato. Eadem habent cum ære usto facultates in sanandis ulceribus, & intra corpus assumptæ eadem inferunt symptomata, quæ æs ustum, Ideoq; iisdem remediis antidotisq; curari possunt.

Ærugo quid, quæ inferat symptomata & quibus succurrendum remediis.

Viride æris.

Viride æs Spansgrün est materia viridis coloris, ex cupri laminis collecta, pictoribus & in re medica usitata, quæ intra corpus assumpta pernicioſum est venenum, & hac ratione paratur; Laminæ cupri illiniuntur Unguento *ex sale & aceto* confecto, ac tandem in aerem suspenduntur, & illita materia altero die per superficiem cupri convertitur in viride æs, quod abraditur ac colligitur laminæq; rursum illiniuntur. Est & alia ratio parandi æruginem excellentissima: Fit unguentum crassiusculum *ex melle, sale, aceto* probè inter se mixtis, quod bracteis sive laminis cupri inungitur, & in ollam nondum coctam imponuntur, & in figulina fornace exuruntur, donec fictilia vasa sunt decocta: quæ materia nigricans excipitur & sub dio collocatur, per noctem enim mutatur color niger in æruginem & colorem viridem venustissimum. Magnus est usus æruginis in curationibus Chirurgicis; Vlcera enim sordida egregiè mundificat oriseq; ac gingivæ ulcera persanat, superfluas excrescentias carnis in ulceribus tollit. Ideo & Emplastro & Gargarismo commiscetur. Intra corpus assumpta ærugo pernitiosa infert symptomata. Statim enim guttur constringit & arterias pulmonum obstruit, vias respirationis inter-

Consectio ejus.

Alius modus.

Usus in Chirurgia

Incommoda ab assumpto.

intercipit, violenter suffocat & extinguit. In ventriculo autem existens continuas excitat vomitiones.

CURATIO est ut epoto *recenti butyro* statim revo- *Curatio.*
matur & in intestina si descendit, nec *clyster ex lacte caprillo & ol: Chamæ-melino* negligendus erit, & subinde *lac calidum* ebibendum Antidotum æruginis est. *Terræ Lemniæ aut corall: rubr. præparat. aut pulv: Zedoariæ* ʒj. *aut ol: Anisi* ℈ ß. *cum vino assumpti.*

Ex Ferro quæ fiant res venenatæ.

Paulò ante dictum est ferri species duas esse, una ex materia crudi ac rubri coloris excoctum ferrum Eysern/ Altera species est ferrum purius ac durius, quod *Græcis* σίδηρος, *Latinis* Chalybs Staal nominatur. Quatuor autem res utilissimæ in medicationibus ex ferro conficiuntur, quæ si non rite præparentur, aut in largiori copia quàm decet assumantur, venenatæ sunt, & varia inferunt symptomata. Sunt autem, squamma ferri, excrementum ferri, Ferrugo, & *Chimicis crocus Martis*, de quibus nunc singulatim.

Squamma ferri, quid, quæ ejus præparandi ratio, quæ vires & quæ inferat symptomata.

Λεπὶς σιδήρου, Squamma ferri Hammerschlag / est ex su- *Squammæ ferri.*
perficie candentis ferri malleo decussa lamina, quæ probè præparata saluberrima præstat remedia & extra & intra corpus. Squammæ autem ferri præparatio ejus- *Præparatio squammarum ferri.*
modi est: Accipiantur *squammæ ferri* ʒiiij quæ in aqua calida abluantur, & Vola manuum confricentur, donec nihil sordium in eis remaneat, deinde & tegula aurifa-

brorum in ignem collocentur, & candentes *in aceto vini acerrimo* extinguantur iterumq; exiccentur, siccataq; denuò ter quaterq; iterum urantur & in aceto extinguantur: Postremò in tenuissimum pulverem redigantur, & *in aceto vini* q. s. in vitrea cucurbita per tres septimanas macerentur, probè obturata. Posteà vitro in ferventem arenam collocato & aperto acetum omne euaporari permittatur, ut pulvis pro usu conservetur. Alij pro squamma ferri *scobem sive limituram chalybis* eadem ratione præparant, ex eo pulvere pillulæ præparantur, quæ nomen habent pillularum scobis ferri, quibus utimur, *in dissolutione ventriculi*. Pulvis autem exhibetur commodissimè in dysenteria, in muliebribus fluxionibus, & in æstuanti colluvie humorum in ventriculo & lienis obstructionibus. Verùm squamma ferri non ita præparata, aut ultra justam mensuram exhibita hæc infert symptomata, Intestinorum cruciatum, ariditatem linguæ, siccitatem totius corporis, & continuum capitis dolorem.

pillulæ scobis ferri.

ferrũ crudum aperit magis ob Salis vitrioli præsentiã calcinatũ stringit ob ejusdem absentiam

CURANTUR hæc mala aerioribus clysteribus & crebra potitatione *lactis caprilli* recentis, & crebra esitatione *butyri recentis* & pinguioris jusculi: Capitis autem dolorem sedat crebra inunctio cum *oleo Rosarum* & *aquæ Rosarum* simul mixtis. Corporis ariditatem tollunt *crebra balnea* in aqua dulci in qua *malva* & *althæa cum radicibus* sunt incocta. Pro antidoto oportunè exhiberi possunt pul: terræ Lemniæ ʒij aut corall: rub: præpar. ʒj. cum jusculo galli gallinacei.

Curatio à præpostero ferri usu.

Recre-

Recrementum ferri quid, quas habeat in medicina utilitates, & quas inferat noxas, quibuscunq; curandum remediis.

Scoria seu Excrementum ferri σιδήρου, Germanicè Schlacken oder Sünderstein/ est materia lapidea in massam foraminibus instar spongiæ plenam, concreta. In fornacibus fabrorum ferrariorum, quæ ab ipsis ut plurimum extra projicitur. Intra corpus assumptum ferri recrementum paulò antè commemorata squammæ ferri infert symptomata & iisdem remediis curanda. Extra corpus autem utimur ejus vapore in balneis, pro exsiccatione vitiosorum humorum inter cutem & carnem collectorum, sudorem ac pruritum excitantium. Propria experientia didici excrementorum ferri candentium vapore *serpigines & Lichenas* die Flechten facilimè curari posse, & quidem hac ratione; massæ scoriæ ferri quatuor aut quinq; in igne candescere permittantur, & una ex his primum, deinde & secunda & tertia, ubi extinctæ sunt in ollam capacem imponantur, & manus aut pes, aut alia quævis pars super illam ita disponatur, ut ne pars affecta, à calore excrementorum offendatur, tandem pars affecta in olla & alio quovis vase culcitra contegatur, ut ne quid à vapore exire queat, & alia manu spongiolam vino rubro plenam patiens habeat, & sensim vinum in candentia excrementa exprimendo instillet, ut vapor inde excitatus locum affectum feriat, & ita per horam integram aut paulò ulterius calido vapore, singulis diebus bis foveatur per octiduum: Omne enim virus Lichenis per sudorem prodit, ulcus exsiccatur & solida sanitas succedit.

Scoria ferri.

Usus topicus in lichenis.

Ferrugo. Maximus quidem in cachexia seu febre virginum & viscerũ obstructionibus pertinacibus.

Ferrugo sive Rubigo ferri quid, quæ ejus utilitates, & quæ inferat symptomata.

Ἰὸς σιδήρου Flos sive Rubigo ferri Eysenrust. Rubiginis hac tempestate in arte Medica nullus est usus, & tamen si ex optimè purgato ferro acetoq; perfuso, rubigo colligatur & contrita intra corpus adhibeatur, profluvia muliebria sistit ac restringit, & ejusdem puteis *cum melle rosaceo* mixtus instar Unguenti putredinem gingivarum & ulcerationem persanat. Non ritè præparata eadem symptomata infert, quæ in squamma ferri sunt commemorata, & iisdem remediis curari possunt.

Crocus martis quid, quomodo parandus, & quas habeat in re medica utilitates.

Crocus Martis.

ἄνθος σιδήρου *flos ferri*, Chimicis *Crocus Martis* nominatur Eysenblumen Germanis dici potest. Est autem crocus Martis ferrum resolutum & in pulverem rubeum redactum. Inter res obscurissimas & hactenus ignotas, quas *Paracelsus* in lucem produxit, Est quoq; *Crocus Martis præparatus* qui etiamsi multa impia & absurda scripsit, hic tamen merita laude non defraudandus. Ita autem conficiendus est. Accipiatur Chalybs & in laminas sive bracteas tenues extendatur, quas candentes iterum atq; iterum in aceto forti vini eo usq; donec acetum rubeo colore affatim tingatur, extinguantur, subinde chalybem renovando, & in aceto novo extinguendo, donec sufficiens mensura tincti aceti habeatur. Deinde omne acetum simul in vitream cucurbitam imponatur ac destilletur abstracto aceto remanebit pulvis rubeus in fundo.

Si mali bona de malis bona.

fundo vitri, qui diligenter colligatur, exiccetur & in tenuiorem pulverem redigatur & pro croco Martis nobiliſsimo remedio conſervetur. Hic enim flos ferri tutò intra corpus exhiberi poteſt; Fit & alia ratione Crocus Martis; Laminæ Chalybis craſsiuſculo unguento *ex Sulphure & Tartaro part. æqual: cum aceto vini facto* oblinian-tur, & in tegulam aurificum ſiccatæ ponantur, ac in furno reverteratorio adurantur, Et ſimul tandem in aceto extinguantur, & contrita una cum aceto in ferventi arena acetum deſtillando ſubtrahatur, pulviſq; in fundo vitri rubeus colligatur. Fit quoq; crocus Martis *cum aqua forti*, ſed is ſine pernitie & vitæ periculo intrà corpus ſumi non poteſt. Habet crocus Martis in reſtrictione admirandas vires & aſſumptus ſtatim omnes tum externas tum internas fluxiones ſiſtit; ideò confert ſanguinis ex ulceribus eruptioni ſi inſpergatur hæmorrhoidum fluxiones, gonorrhæam, muliebria profluvia, menſium immoderatam fluxionem, diarrhæam, dyſenteriam, & urinæ incontinentiam mirabiliter ſiſtit, & contraria virtute lienis obſtructiones aperit, & præterea ſordida & perpetuò manantia ulcera inſperſus exſiccat, & perſanat. Doſis exhibendi croci Martis intra corpus eſt à ℈j uſq; ad ʒj. Exhibetur autem cum aliquo aſtringente liquore, *ut aq. plantaginis, ſucc: Citoniorum aut vino rubenti*, Foris verò & ſiccus inſpergi vel cum aliquo liquore inſtar unguenti mixtus illiniri aut Emplaſtris admiſceri poteſt.

Alius Croci Martis præparandi modus.

Tertius modus.

Uſus.

Doſis.

Ex ſtanno quæ parentur res Venenatæ.

Stannum ut paulò ante diximus *Jovem* vocant *Chimici*,

Sal ejus in uteri affe-

Album minii præstat.

mici, sed ex eo nulla fit venenata materia, nec eo in medicamentis utimur. Et cum stannum nil fit aliud, quàm plumbum album, nunc de plumbo nobis dicendum erit.

Ex Plumbo quæ fiant materiæ Venenatæ.

Non quidè vitè parata & cum ratione exhibita venenata sunt plumbea sed sæpè aureæ fiunt.

Plumbum & *Chimici* & *Astrologi* Saturno consecrarunt, ex quo arte Chimicâ utilissima remedia & extra corpus adhibenda parantur, quæ si intra corpus assumantur venena, sunt. Ejus autem generis sunt *plumbum ustum, ceruſa alba, minium, ocra*, de quibus ordine sigillatim differemus.

Plumbum ustum quid, quæ inferat symptomata & quibus remediis curanda.

Plumbum ustum.

Μόλυβδος κεκαυμένος nil est aliud quàm plumbum adurendo conversum in cinerem. Fit autem *plumbum ustum*, si ejus laminæ in crudo fictili positæ, & in figulinam fornacem collocatæ adurantur donec vasa fictilia exactè sunt cocta. Ejus in Medicinis hodie nullus est usus, si tamen abluatur, & in sordida ulcera inspergatur

Prodest & in ophtalmiis.

ea astringit & exsiccat. Figuli utuntur ad oblinienda sive vitreanda sua fictilia; Si plumbum ustum per imprudentiam intra corpus sumatur, infert symptomata lithargirij; videlicet suffocationem, & iisdem remediis curantur, ideò ex lithargirij symptomatibus remedia sunt petenda. Ejus tamen antidotum est *Theriacæ Androm: zij cum vino generoso.*

Ceruſa

Ceruſa quid, quomodo paranda, quæ ejus vires, quæ inferat ſymptomata & quibus remediis curanda.

Ceruſa foris applicata refrigerat, exiccat, & poros obſtruit; Ideo unguentis & emplaſtris Chirurgicis admiſcetur & pictoribus familiaris eſt. Fit autem Ceruſa ex laminibus plumbi ſuper vaporem & exhalationem aceti acerrimi in olla ampla vitreata poſitis, ita ut acetum minimè attingat, ſed tantum à vapore aceti ſubinde feriatur; olla verò cooperienda eſt ea lamina, ne ejus vapor exhalet, & deponenda eſt in calidum cinerem, poſt 14. dies adhærebit laminis à vapore aceti candidiſſima materia, quæ leporino pede detergatur ac colligatur. Laminæ autem rurſum vapori aceti imponantur, donec ſufficiens quantitas Ceruſæ ſit collecta, Intra corpus aſſumpta ceruſa hæc infert ſymptomata, ſingultum faucium & linguæ ariditatem, anhelitus difficultatem, præcordiorum tumorem, ſtrangulationem, artuum frigiditatem, totius corporis torporem, mentis commotionem.

Ceruſſa.

Ejus uſus merè externus.

Noxæ ab interno uſu.

CURATIO TENTANDA eſt valida evomitione & *acribus clyſteriis*, aſſumpta prius *aqua calida, in qua ficus & malvæ radices ſunt incoctæ & ol. irinum ſit admixtum*, clyſteri admiſceantur ſcammoneata remedia quale eſt *Diaphœnicon & ol: Coſtinum cum decocto Centaur: min: & card: bened:* Deinde offeratur *lac* potandum *recens* mulctum. Antidotum ceruſæ erit *ol. angelicæ ʒß aut ol: Vitrioli gut. viij. & Theriacæ Androm: ʒij cum vino generoſo.*

Minium

Minium.

Minium ex Plumbo quid, quæ inferat symptomata, & quibus curanda remediis.

Minium ex plumbo est color rubeus ex plumbo usto confectus, pictoribus familiaris, quem nostras Mennige vocant. Differt plurimum à veterum Minio, quod minerale est è montibus erutum ex quo argentum vivum paratur; sed nobis hodie ignotum. Falluntur meo judicio qui *in Bucolicis Virgilij*, ubi canit: *Sponte sua sandix pascentes vestiet oves*, Sandicem pro minio usitato interpretantur, nunquam enim quispiam vel vellera vel lanas ovium extingere vidit: Ideo Sandicem aut flores aut radices cujusdam herbæ tempore *Virgilij* sic vocatæ, quales nunc sunt *radices rubeæ tinctorum*, quibus pannifices purpureo colore suos pannos tingunt, esse crediderim. Minium nostrum ex plumbo cum sale calcinato aut ex ceruſſa adusta fit, quod in olla in validum ignem collocatur & continua agitatione cum ferreo bacillo uritur donec rubeum assequatur colorem. Minium imprudenter intra corpus assumptum eadem infert symptomata, quæ *lithargirium* aut *ceruſa* & iisdem remediis curantur, quæ ex superioribus peti debent. Peculiariter autem veneno minij adversatur tempestiva romitio *ex decocto sem: rapæ & butyro recenti confecto*, aut *ol. anethino & clystere ex decocto rad. malvæ & gran. Juniperi cum oleo anethi confectum*. Antidoti loco exhiberi possunt *Theriacæ Androm* ʒij vel *ol: Vitrioli* ℈ß. aut corall: rub: præparat: ʒj.

Locus Virgilij explicatur.

Minij tinctura cum aceto facta præsentē fert opem excrescentiis gingivarū

Minium Luteum ex plumbo usto quid, quæ inferat symptomata & quibus remediis curanda.

Minium

Minium flavum, pictoribus noſtris Bleygelb nominatur. Fit autem ex plumbo in cinerem converſo ſimili ratione, ut minium rubeum, ſed paulò languidiori igne torretur in olla ſubinde agitando, donec flavum ſeu luteum conſequatur colorem. Nam ſi ulterius & violentius uratur Minei rubei colorem imbuit. Aſſumptum eadem ut *minium* vel *lithargyrium* infert ſymptomata & iisdem remediis curatio eſt tentanda. *Confectio.*

Ex Argento vivo per præparationem quæ conficiantur venenata Pharmaca.

Argentum vivum, ὑδράργυρος *Græcis* ab aqua & argento nomen habet: Colore enim argentum imitatur, & conſiſtentia inſtar aquæ fluidum eſt, & non niſi in alienis terminis contineri poteſt: Quemadmodum & aqua, & quælibet ejus minima particula inſtar aquæ ſphærica eſt & rotunda. Ideò quidam Chimicorum argentum vivum aquam ſiccam vocitant. Parantur ex argento vivo arte Chimica & utiliſſimæ & longæ pernicioſæ res ex quibus res ſunt præcipuæ: *argentum vivum ſublimatum, argentum vivum præcipitatum vel Mercurius, & Cinabrium, de quibus ſigillatim nunc tractabimus.* *Aqua Chimicorum ſicca.*

Argentum vivum ſublimatum ſive Mercurius ſublimatus quid, quæ ejus ſymptomata & quomodo eorum curatio tentanda.

Argentum vivum ſublimatum ſurſum delatum ſive exaltatum *Chimicis Mercurius Sublimatus* Rottenkrudt & nihil eſt aliud, quàm argentum vivum, violentia ignis in vitrea cucurbita in ſublime coactum, fixum & conden- *Mercurius Sublimatus.*

Confectio ejus.

satum, quod hac ratione paratur. Argentum vivum cum sale in lapideo mortario diu multumq; subigitur, subinde sale sordido & nigrefacto permutato. Tandem ita purgatum argentum vivum rursum cum aliqua parte *salis* & *Calchanti* sive *Vitrioli* permiscetur, & in vitream cucurbitam luto Chimico incrustatam imponitur, ejusq; vitri osculum galea sive capitello vitreo rostro carente, quod *Chimici cæcum alembicum* vocant imponitur & claditur, eaq; in furno ascensorio inter candentes prunas collocatur & valido igne urgetur, donec omne argentum vivum in sublime elevetur, in capitellum sive galeam deferatur, ejusq; parieti instar crystalli niveiq; candoris adhæreat, atq; condensatum accrescat. Hic sublimatus Mercurius causticæ & instar ignis adurentis est naturæ, adeo ut suo contactu sive foris applicetur cor-

Natura ublimati.

pori sive intra corpus sumatur, non tantum partes omnes usq; ad ossa adurat, corrumpat, & putrefaciat, sed & ferro cum aliquo liquore illitus ipsum erodat & absumat. Est itaq; argentum vivum sublimatum omnium rerum venenatarum penetrantissimum, pernitiosissimum & immedicabile, habet tamen & ipsum suam in Chirurgia utilitatem. Nam si ejus quantitate nucis avellanæ in *aq. Rosarum ℥vj vel plantaginis, in qua semina Psylij sunt macerata,* resolvatur & foris serpigini, lichenibus & pustulis ex *Gallica lue* ortis illiniatur, eas exsiccando, & pruriginem tollendo facile persanat, Intra corpus autem vel tantillum ejus assumptum statim ventriculi & intestinorum tunicas erodit, & corrumpit; inflammationem intumescentiamq; linguæ & faucium infert, ac paulò post cruoris per alvum effusionem; post miseram

Sublimatus toxicorum potentissimus.

Usus in Chirurgia

mor-

mortem inducit. Hujus venenatæ rei symptomata immedicabilia fere sunt nisi post assumptionem (antequam materia veneni membranas penetravit) ejus substantia evomatur, hausto *ol. rosarum*, ac deinde ejus virulenta erosio *lactis caprilli potione, in quo semina psylij sunt macerata & multa butyri recentis esitatione frænetur.* *Curatio ab usu sublimati.*

Mercurius præcipitatus quid, quomodo parandus quæ ejus vires, quæ inferat symptomata, & quibus curanda remediis.

Mercurius præcipitatus.

Argentum vivum sive *Mercurius præcipitatus* est pulvis crocei coloris ex argento vivo per aquam fortem mortificato, ac tandem calcinato confectus. Hujus pulveris sive Mercurij præcipitati usus introductus est longè ante tempora *Paracelsi*, circa annum Christi 1494. cum primum *lues Gallica* inter homines sævire cœpisset, tum enim ad ejus mali sævitiam profligandam, quod novus esset morbus nullum extabat remedium excepto argento vivo, quod inunctionibus miscebatur, & in pulverem forti aqua redactum intrà corpus exhibebatur, cujus venenata qualitate plurimi in discrimen vitæ & ipsa morte acerbiora symptomata præcipitabantur. Verùm postea tandem industria medicorum & alia magis salutaria remedia inventa fuêre, & circa annum *incarnationis Dei* 1532. commodior ratio præparandi & præcipitandi mercurij à *Paracelso* est inventa, qui etsi *impius magus, & affectatæ obscuritatis homo* fuerit, tamen constat ipsum in *arte Chimica* præstantissimum fuisse artificem. Possunt itaq; ex ejus obscuritatibus quædam præclara remedia, granis auri similia ex stercore colligi, si quis attentius ej *Ortus ejus & usus.* *Præcipitatus præcipitat in mortem.*

ejus legat & observet scripta, & se in præparationibus Chimicis studiosè exerceat. Pulverem autem hunc præcipitatum *Paracelsus* ipse ut hominibus celaret suo modo ignoto vocabulo *Thurpetum minerale* nominavit, quem hac ratione parare docuit. Accipiatur argenti vivi pro arbitrio q. 5. quod ab omni sordè studiosè purgetur cum sale communi, diu multumq; in lapideo mortario subigendo & conterendo, sale impuro & nigricante subindè cum recenti ac puro permutando. Postea affusa aqua calida pluries colluatur, huic puro argento vivo singulis ejus ℥j auri puri aut foliorum ʒj. admisceatur, & in vitream cucurbitam imponatur, superindaturq; aq. fortis quantum sufficit & in tepido loco collocata cucurbita, simul macerentur, donec argentum vivum omne in liquorem sit resolutum, Tandem vitreæ cucurbitæ galea rostrata vitrea imponatur, & aqua fortis omnis in ferventi arena destillando subtrahatur, & argentum vivum una cum auro in tegula aurificum imponatur, & in patenti loco inter prunas candentes collocetur tegula, argentum vivum baculo ferreo continuè agitando ac calcinando, donec in croceum convertatur Pulverem. Postea idem pulvis iterum in vitream cucurbitam imponatur & denuò aq. fortis affundatur, ac per noctem maceretur, denuoq; destillando aq. fortis subtrahatur & adhuc tepido existente argento vivo in pateram vitream aquâ frigidâ plenam infundatur. Ita aurum subsidebit in fundo pateræ, quod à reliqua massa argenti vivi separetur, ac singulæ tam aurum quàm argentum vivum seorsim iterum denuo calcinentur in tegula aurificum & pulvis rubens in cucurbitam novam

Turbith minerale

præparatio.

Aurum hoc si non ægroto tamen præparanti prodest.

novam indatur, & q. s. fortissimi Vini sublimati sive spiritus vini affundatur, & per noctem maceretur, deinde destillando subtrahatur, pulvisq; tam auri quàm argenti in tegula denuò calcinetur, hæcq; calcinatio & maceratio novies ad minimum reiteretur: ea enim ratione cum ex auro tum ex Mercurio præcipitato per vinum sublimatum omnis venenata qualitas extrahitur: Postremò pulvis Mercurij præcipitatus crocei coloris reservetur in usum, qui ut diximus, *Paracelso Turbith minerale* vocatur, aurum similiter seorsim conservetur, quod *Paracelsus aurum* vocat *diaphoreticum*, dosis exhibendi utriusq; est à gr. iij ad ℈ß. Exhibentur autem commixta *pulpæ cassiæ* ʒj aut ʒj *conservæ rosarum*. Aurum diaphoreticum per sudorem, Mercurius autem præcipitatus per supernam & infernam evacuationem satis violentam omnes putridos humores venenatamq; colluviem extirpat. Nobilissima est medicina in curationibus deploratorum morborum, veluti sunt, lepra, Morbus Gallicus, continuus capitis dolor, epilepsia, cachexia, Phagedænici Tumores, ulcera sordida, & omnis generis vulnera, Cavendum tamen est medico, ne viribus resolutis hisce remediis utatur, sed viribus consistentibus & in corporibus robustis. Pulvis præcipitatus si non satis probè sit præparatus, aut non justa mensura exhibeatur, symptomata infert argenti vivi, potissimum autem putridæ salivæ ex ore continuam effluxionem & dentium vacillationem, membrorumq; tremorem. Hæc symptomata curari possunt *decocto rad. Chinæ aut Sarmenti Indici*, cujus præparandi & utendi rationem ex curatione *morbi Gallici* superius à nobis traditam petere licet.

Vires & laudes.

Cautela.

Noxa præposteri usus.

Curatio symptomatum.

licet. Quia verò in præcipitatione argenti vivi nunc facta est mentio *aquæ fortis*, quæ tota sua substantia venenata est, minimè eam prætereundam ducimus.

Aqua fortis quid, quæ ejus parandi ratio, quæ inferat symptomata & quomodo curanda.

Aqua fortis.

ὕδωρ βιαίον Aqua fortis & violenta, quæ à Chimicis aqua regia sive regalis & aqua separationis, nostris Scheidewasser inde nominatur, quod per eam impura à puris separentur, adeò violenta est, ut omne metallum in eam conjectum in liquorem resolvat, ideo *Chimici* sua remedia, mediante aqua forti & calcinatione præparant. Paratur autem aqua fortis hac ratione. Accipiantur *Calchanti* vel *Vitrioli* in olla nova cremati sive calcinati *aluminis & salis nitri non calcinati, omnium p. æ.* ut ad minimum ℔ ij quæ simul pulverisata in vitream cucurbitam aut densum fictile cucurbitæ forma, cujus collum nonnihil intortum sit, quod luto Chimico probè incrustetur, in quod imponantur pulveres & in furnum reverberatorium vocatum tranversim collocetur. Oportet autem cucurbitæ dimidiam partem vacuam relinquere, ejus autem orificio extrà fornacem prominenti capacissimum vitrum subijiciatur, & luto Chimico amborum orificia conglutinentur, deinde subjiciatur initiò lentus ignis, ipsum magis magisq; augendo eousq; donec vitrum recipiens instar flammæ candescat, semper ignem continuando, donec vas vel vitrum recipiens per se iterum inclarescat perspicuumq; reddatur, tandem subducto paulatim igne & furnus & vasa destillato-

Aqua regia fit cum aq forti additur sal ammoniacum.

Præparatio ejus.

latoria per se sensim refrigerari permittantur, & ex recipiente, liquor omnis seu aq. fortis in aliam vitream cucurbitam infundatur, ac probè *luto Chimico* obturetur, obsigneturq́, & ad usum reservetur. Hac aqua forti, varia præparari possunt ex metallis remedia, quæ sanè intra corpus non temerè sunt exhibenda, nisi prius per crebras calcinationes & ablutiones omnis venenata qualitas ab eis sit abstracta & separata. Quemadmodum de *Mercurio præcipitato* fieri docuimus. Si quis enim non exactè a veneno separatum remedium Chimicum, sive sit ex auro, sive ex argento, sive ex Mercurio aut aquam fortem per se exhibuerit, infert corporibus pernicioſa & immedicabilia symptomata quæ de Mercurio sublimato commemorata sunt. Statim enim violenta sua penetrandi vi instar ignis ventriculi intestinorum fauciumq́ & linguæ tunicas erodit corrumpit & putrefacit. Si quis curationem tentare voluerit per ea remedia curari potest, quæ de *Mercurio sublimato* proposuimus. Prædicta tamen remedia & ipsa quoq́ aqua fortis in externarum partium vitiis curandis suum habent usum, quem nos in *nostra Iatrochimia* docebimus.

Cinabrium quid, qua ratione conficiatur, quæ inferat symtomata, & quibus curanda remediis.

Cinabaris *officinis Cinabrium.* Longè autem diversa res est Cinabaris veterum, quod fossile & nativum est, & nemini hoc tempore notum. Nostrum verò Cinabrium factitium est. Sunt tamen inter eruditos, qui arbitrantur *Cinabrium veterum esse* rubicundissimum succum,

Cinabaris Nõ procul Marpurgo in Hassia minera nativi Cinabaris se aperit.

Error quorundam.

cum, qui in myropoliis *sanguis Draconis* nominatur. Quàm verò rectè viderint ipsi.

Præparatio ejus.

Cinabrium autem usitatum hoc seculo & Medicis & pictoribus hac ratione conficitur. Argentum vivum mortificatur primò sive dissolvitur in vitro cum aq. forti aut resolvitur etiam sine aqua forti violentiâ ignis addito *Sulphuris & Salis partibus æqualibus.* Ex quibus calcinatis niger pulvis producitur. Qui si cucurbitæ vitreæ imponatur, & huic galea sine rostro vel aliud vitrum superponatur, & luto Chimico conglutinetur, validoq; igne sublimetur in superius vitrum sive *cæcum alembicum* materia cinobrij & instar lapidis hæmatitis adhæresit & condensatur; fitq; cinobrium factivum & pictoribus & Chirurgicis medicis utile remedium. Utuntur autem ejus suffitu in curandis ulceribus certarum partium *ex lue Gallica* contractis. Etsi enim fumus acerbissimos dolores partium sedat atq; ulcera consolidat, tamen deinde longè acerbiora infert symptomata, quemadmodum de argento vivo diximus. Utendi autem ejus ratio hæc est R. *Cinaberis* ʒ j. *Thuris, ligni aloes, myrrhæ, Ladani ana* ʒ ij *Bac. Lauri* ʒ 5. Ex quibus omnibus pulverisatis formentur pastilli, quorum unus & alter injiciatur carbonibus ignitis invase sive dolio, in quo partes ulceratæ sunt collocatæ & probè contectæ & eo usq; fumo horum macerentur donec probè sudare incipiant.

Usus externus.

Mineralia quid sint, & quæ ex eis præcipuè venenata.

Hactenus docuimus de Metallis & ex eis arte paratis venenatis rebus, nunc de mineris sive mineralibus prima-

primariis & ex illis provenientibus venenatis rebus, dicendum est. *Exceptis septem metallis omnia quæ ex visceribus terræ eruuntur inter mineralia numerari debent*, quæ juxta *Chimicos* ex iisdem principiis, *Sale* videlicet *Sulphure & Mercurio*, atq; *ex spiritibus in illis contentis* generantur, quæ sanè 4. principia, si *Chimici* non præstigiis luderent juxta veterum *Philosophorum* sententiam, nihil aliud sunt quam 4. Elementa. *Sulphur* enim quid aliud est quam ignis, & *Mercurius* quid aliud quam aqua, *Sal* autem terrestrior pars est omnium rerum, & spiritus aëri respondet. Mineralia itaq; omnia ex Sulphure & argento vivo, sed impurissimis, neq; probè mixtis, & à natura non satis concoctis constant: Differunt à metallis, quod metalla in igne liquescunt, & malleorum percussione ductibilia fiunt: Mineralia verò etiamsi in igne liquefiant, tamen rursum concreta non ut metalla condensantur sed friabilia sunt & ictu malleorum non possunt extendi, sed in pulverem rediguntur. Sunt autem præcipua mineralium genera & ex eis parata Pharmaca, quæ intra corpus sumpta noxam inferre solent hæc sequentia.

Quatuor elementa cum Chimicorum principiis conveniũt.

Differentia inter metalla & mineralia

Sulphur *Vitriolum* *Antimonium*
Arsenicum *Auripigmentum* *Gypsum*
Nitrum *Sal Ammoniacum* *Borax.*

Calx atq; *vitrum.* Quibus nos & *ex terra venenatos halitus* annumeramus. De iis itaq; sigillatim necessaria tantùm proponemus.

Sulphur quid, quæ ex eo parentur remedia, & quas noxas inferant quibusq; remediis curandæ.

Sulphuris vocabulum *Chimici* bifariam usurpant, primò

Sulphur Chimicis duplex.

Principiũ & Principiatum.

mò pro materiâ primâ, ex cujus purissima portione cum argento vivo puro in viscеribus terræ juxta & à natura per multas ætates concocta aurum generari tradunt. Ex ejus autem impuriori parte cum impuro argento vivo inæqualiterq; commixta & non satis decocta, reliqua impura, metalla & mineralia conflari opinantur. Hoc vero sulphur nihil aliud esse aiunt, quàm vaporem in viscebus montium excitatum, & in poris venisq; terræ concretum, de quo hoc loco non disputamus. Secundò usurpatur Sulphuris vocabulum pro fœtido illo Sulphure, quo & Medici & Chimici creberrimè utuntur, & sua parant Pharmaca, cujus fœtidi Sulphuris tres species seu potius partes in Myropoliis prostant: *Sulphur nativum* sive vivum & non est aliud quàm minera Sulphuris. *Sulphur coctum* sive defœcatum Citrini coloris, quod ex superiori arte excoctum est, & *Sulphur caballinum sive nigrum* quod non est aliud quàm sulphuris vivi, inter excoquendum Sulphur Citrinum, excrementum. Multas præclaras vires & Medicas facultates *Dioscorides* & *Galenus* Sulphuri attribuunt, & intra extraq; corpus applicare docent. Et *Dioscorides* quidem dicit, Sulphur impensiùs calefacere & exsiccare, prodesseq; tussientibus & difficultate respirationis laborantibus cum vino intra corpus sumptum: Foris autem persanare lepras, scabies & pruritus cutis, conferreq; Scorpionum ictibus, & erumpentes sudores prohibere, atq; suffitum ejus in aurem demissum, gravitatem auditus tollere. *Galenus* adjicit, se experientia comperisse, Sulphur venenatorum animalium morsibus & punctionibus salutare esse remedium, si ejus pulvis cum saliva jejuna in unguenti formam redactus

Tres sulphuris species.

Sulphur vivum

Coctum

Nigrum.

Vires Sulphuris.

Usus externus.

dactus, aut cum urina maceratus, vulnusculis illiniatur infricetur q. Verùm sulphur, ut experientia docet, nisi probè *arte Chimica* præparetur, & etiam præparatum cum judicio intra corpus exhibeatur, facilè noxam inferre, Et vidimus nos hac tempestate sententia *Dioscoridis* perperàm intellectà, quosdam *Chimicos flor. Sulphuris & ol. sulphuris phtisicis* vehementer tussientibus & difficultate respirationis laborantibus exhibuisse, eosq; brevi tempore interemisse. *Dioscorides* enim de tussi & difficili respiratione loquitur, quæ ex frigida colluvie pulmones obstruente originem habet, & non phtisicorum tussi, qui una cum phtisi semper afflictantur hectica febre, *Phtisicis* itaq; *florem aut ol.* ♀ *exhibere est ignem igni addere*. Caute itaq; & summa cum prudentia & non nisi recte præparatum sulphur debet intra corpus administrari. Fiunt autem arte Chimica ex Sulphure tria remediorum genera, *aqua sulph. flos Sulphuris & ol. Sulphuris.*

Intempestivus Sulphuris usus nocivus.

Quibus tussientibus sulphur propinandū.

Aqua & flos Sulphuris quomodo paranda, & quæ eorum utilitates.

Aqua & flos sulphuris.

Sulphuris citrini & arte excocti potissima in arte medica usurpatio; Quod tamen citra præparationem & purificationem intra corpus tutò exhiberi nequit. Præparatio autem ejus fit per calcinationem & ablutionem. Et aqua quidem ex Sulphure materia siccissima exigua elici potest. Ideò pulviscuti sulphuris præparati crebrior est usus quam vel aquæ & olei ejus. Aqua autem & flores una operatione confici possunt. Accipiatur itaq; sulphuris Citrini, puri & in tenuissimum pulverem redacti pro arbitrio q. ſ. Imponaturq; in vitream cucur-

Excocti sulphuris & præparati usus in medicina potior.

bitam luto Chimico, quod *lutum sapientiæ* vocant, oblinitam, cui galea rostrata imponatur, & in ferventi arenæ furni ascensorij valido igne urgeatur, & in initio quidem profluet aquosus liquor, qui etsi exiguus sit, tamen in vitro recipiente colligendus erit & reservandus. Est enim utile remedium ad ἀχώρες, i. e. ulcera madentia puerorum eo confricata, & ad quamlibet scabiem, cutisq; pruritum. Morsus quoq; & ictus venenatorum animantium illitus persanat. Tandem remoto vitro recipiente *cum aq. Sulphuris* obstruatur rostrum galeæ luto Chimico, ne quid vaporis exire queat, vel refrigeratorio vitro galea cæca imponatur, & validiori igne sublimetur Sulphur. Ascendit enim ex Sulphure vapor siccus, qui parietibus galeæ instar fuliginis adhæret, & condensatur in materiam citrini vel aurei coloris quæ *flos* dicitur *Sulphuris* vel *sulphur sublimatum* vocatur. Talis autem sublimatio sive destillatio *ft. sulphuris* terquaterve repeti debet, eo enim redditur purior ac præstantior. Ut autem ejusmodi sublimatum Sulphur omnem fœtorem deponat, in pulverem redigendum, in vitrum novum reponendum & in q. s. *vini destillati* sive ardentis aut *in aq. Juniperi per ascensum destillata* in loco tepido per triduum macerentur, ac rursum in arena destillandum, & liquor omnis â flore subtrahendus, idq; ter vel quater reperatur ac postremò flos sulphuris tenuissime pulverisandus, & in vitro ad usum conservandus. Utilissimus autem est in arte Medica hic flos sulphuris ad colluviem pituitosam exiccandam & extenuandam in thorace collectam & ex ea generatam tussim. Ulcera quoq; in thorace excitata sanat atq; crassos vapores pulmonum arterias

Sic utilissima aqua illa stillatitia est in lumbricis.

Aq. Usus.

Flos quomodo parandus.

Usus & vires.

terias obstruentes & difficultatem respirationis inducentes discutit & exiccat. Foris autem venenatorum ictuũ ulcuscula persanat, & unguentis ad scabiem commodissimè misceri potest. Dosis ejus intra corpus est à ℈ j. ad ʒ. j. Cavendum tamen ne tabescentibus & marcore affectis & febre hectica laborantibus intra corpus exhibeatur. *Dosis. Cautio.*

Oleum ex Sulphure, qua ratione paretur, & quæ ejus utilitas.

Oleum Sulphuris.

Chimici variis modis præparant *Ol. Sulphuris*, quorum nos tres tantum breviter subjiciemus. Primus est: Flos sulphuris præscripta ratione confectus & ter quaterve sublimatus, si in pulverem redigatur & in vesica bovilla imponatur & in tepida aqua sive balneo Mariæ per octiduum maceretur, sua sponte in pinguẽ liquorem resolvitur, qui ol. Sulphuris meritò vocari potest: Et easdem habet vires & utilitates, quas de flor. Sulphuris recensuimus. Dosis ejus est à ℈j ad ʒj. *cum vino aut aqua hyssopi.* *Primus præparandi modus.* *Secundus.* Secundus modus est: Accipiatur Sulphuris citrini puri & tenuissimè pulveri sati q. 5. cui tantum ol. olivarum admisceatur, ut inter se mixta pultis formam acquirat, quæ deinde in cucurbitulam vitream conjiciantur & impositâ rostratâ galeâ in ferventi arena destillentur & ol. per destillationem extractum ad usum conservetur. Utile ad scabiei genera omnia & cum aq. plantaginis mixtum linteolisq; duplicatis exceptum & ulceribus sordidis impositum, ea præclarè abstergit & persanat. Intra corpus verò minimè exhibetur. *Usus secundi.* *Tertius.* Tertius modus ita habet, Accipiantur pulueris Citrini ʒvj.

& vitreæ cucurbitæ imponantur eisdemq; affundatur aq. fortis ea mensura ut supra sulphur 4. digitorum latitudine superet & innatet cum aq. Sulphur probè commisceatur macereturq; per diem & noctem sæpè commiscendo & agitando. Tandem destillentur in ferventi aren. donec omnis aq. fortis à sulphure subtrahatur, subtractaq; aqua rursus in ipsum sulphur in fundo vitri relictum affundatur & denuo maceretur ac destilletur priori modo idq; ter quaterq; reiteretur. Postremò calx sulphuris eximatur, pulverisata in vitream patellam reponatur & in humido loco collocetur, ubi sensim in ol. resolvatur. Hoc oleum sulphuris tanquam pernicioſum venenum intra corpus minimè exhibendum erit. Vtilitates tamen ejus sunt, si foris linteolis exceptum imponatur, verrucas tollit, hæmorrhoidum fluores compescit; Ficus, i. e. tumores in ano genitos persanat, carnem in vulneribus succrescentem extirpat & suo confrictu dentes reddit candidos. Sulphur porrò non præparatum, aut ultra justam mensuram intra totum corpus sumptum sua extrema siccitate epar & ventriculum torrefacit, linguæ ariditatem infert, ac postremò totum corpus in marcorem conjicit.

Vsus externus in verrucis & hæmorrhoidibus

Noxa ab siniſtro usu.

Curatio. CVRATIO horum Symptomatum est continua sulphuris evomitio oleo prius violaceo cum aqua tepida mixto assumpto & crebra potitatio *Syrupi è succo granatorum aut citrorum acidorum cum aqua plantaginis mixti.* Vtile quoq; est *cremorem ptisanæ hordeaceæ & lac acidum* crebrò gustare. Antidotum Sulphuris est ʒj *Crystalli præparati cum lacte exhibita, aut* ʒ ij *Lemniæ terræ aut* ℈. *mucag. sem. Citoniorum cum aq. rosarum factæ.*

Anti-

Antimonium quid & quæ ex eo eliciantur remedia.

Stibium Chimicis & officinis Antimonium, Germanicè Spißglas est minera plumbi & colorem & ponderis gravitatem referens & in igne ut plumbum liquescens. Intus argentei splendoris venulis nitens. Fuliginosa fumosaq; Philosophorum familia (se enim solos Philosophos esse gloriantur Chimici) reconditam suam sapientiam & medendi artem circa remedia arte Chimica ex 4. potissimis fossilibus elicita ostentant & prædicant, *auro, argento vivo, antimonio, & chalcantho sive vitriolo.* Ea autem metallica remedia ex mera invidia impropriis & peregrinis nominibus celandi gratia ornant, & *quintas essentias, tincturas, arcana, magisteria, balsamum, elixiria & spiritus* vocitant, quæ revera nihil aliud sunt, quàm corporum formæ substantiales, sive ut saniores philosophi vocant humiditates radicales sive primogenij, spiritu & calore perfusæ, & ipsa creatione, per omnium corporum substantias diffusa, *in qua humiditate latentes rerum vires continentur, & ejus beneficio omnia corpora eohærent, vivunt, vegetantur ac conservantur.* Hanc ipsam cœlestem ac divinam humiditatem è corporibus violentia ignis elicere, & ab omnibus elementaribus partibus separare se posse gloriantur Chimici. Et esset sanè ejusmodi Medicina in persanãdis magnis ac difficillimis morbis tanquam Dei manus potentissima & efficacissima, si ejus præparatio tam esset facilis, ut est impudens jactatio Chimicorum: qui omnes quidem se artem eliciendi *quintas essentias* nosse gloriantur, & tamen vix eorum

Antimonium.

Præcepta Paracelsi. hæc quidẽ nulla injuria si à peritis fit, prædicantur.

Vocabula artificum arbitriis subjecta.

Seculum quod vixit autorem excusat.

eorum milleſimus vel liquores elementares producere aut eos à venenatis qualitatibus ſeparare novit, & longè etiam pauciores ſunt, qui ea remedia habita ratione ætatis, temperamenti virjum & morborum ritè & tempeſtivè exhibere ſine noxa poſsint, id quod quotidiana conteſtatur experientia metallicis rebus intra corpus exhibitis plures interire, quàm ſanitate reſtitui. Sedula itaq; circumſpectione opus eſt omnibus ſanitatis Studioſis ac potiſsimum illuſtribus viris, ne *Chimicorum auro potabili* aut pulvere *argenti vivi præcipitati*, quem illi *Turbith minerale* atq; *Mercurium Diaphoreticum* vocant, aut *vitro Stibij ſive antimonij* aut *ol. Chalcanti* intra corpus utantur, niſi certò ſciant ea à peritiſsimo artifice eſſe præparata & à tali medico exhibeantur, qui in Phyſiologia & omnibus partibus artis medicæ Hippocraticæ ſit exercitatiſsimus. Stibio ſive Antimonio tantam efficaciam tribuunt Paracelſi aſſeclæ, quantam vix humana ratio explicare queat. Aſſerunt enim Antimonij facultates à prima rerum conditione uſq; ad hoc ſeculum integras incorruptasq; manſiſſe, ideoq; antimonium arte Chimica in ſui primam materiam redactum & exhibitum, cujuscunq; morbi malitiam facilè abſumere, & corpora impura pura reddere, ut ad ſummam perfectamq; ſanitatem nihil omnino deſiderari poſsit. O generoſum & planè divinum remedium ſi ita eſſet, ut illi prædicant: Quid enim amplius opus eſſet uſu & experientia artem medicam addiſcere, Si unico remedio Antimonij omnes morbi tolli poſſent? Sed ad inſtitutum redeam. Ex ſtibio ſive Antimonio tres remedij ſpecies formâ differentes arte Chimica præparantur. *Vitrum Antimonij, tinctura ſeu eſſentia Antimonij, & oleum antimonij.* Vi-

Antimonium nemo propinet, niſi qui didicit.

Vitrum Antimonij qua ratione conficiendum, & qui ejus effectus seu facultates.

Vitrum Antimonij. Paracelsi scripta cur evellenda.

Virgilius interrogatus cur obscura Ennij Poëtæ legeret Poëmata, respondit se ex illius scriptis aurum tanquam è stercore colligere. Ita Medici debent sedulò legere barbara & obscura scripta Paracelsi, sunt enim in eis tanquam flosculi inter spinas utilissimæ res dispersæ, ex quorum numero est, *Vitrum Antimonij*, quod soli Paracelso acceptum ferre debemus, qui etsi fuerit homo maledicentissimus, tamen iniquum ipsum meritâ laude in earum inventione defraudare, qui Antimonij vitrum hac ratione parare docet. Accipiatur *Stibij puri & oblongis lineolis micantibus, scintillantis*, ℔ j. quod in pulverem redactum novo fictili non vitreato imponatur & in furno calcinatorio super laterem collacetur in loco libero & perspirabili admotis undiq; carbonibus incensis, & primo lento igne, deinde validiori liquefiat & calcinetur Antimonium & subinde (aversa facie, ne fumus in nares aut faciem irrepat Antimonij) ferrea & oblonga spatula liquefactum versetur ac subigatur, donec universum in glebas concrescat, quod ubi factum est, ex igne exceptum Antimonium & refrigeratum denuo in pulverem redigatur, priorisq; modo in aliam novam ollam sive fictile impositum calcinetur, priorisq; modo ferreo stilo agitetur, donec iterum in glebas coeat & talis calcinatio & reiterata pulverisatio toties perficiatur, donec antimonium nullum fumum exhalet, nec tetrum odorem spiret nec amplius in glebas concrescat, sed pulvis cinericei aut albi, aut crocei coloris remaneat.

Hic præparandi modus exolevit ob boracis virulentiam, parandum igitur per se sine additamẽto.

Hujus calcinati Antimonij pulveris accipiantur ʒ vj. Pul. Antimon. crudi & semel tantum ut viroſus ejus fumus exhalet liquefacti & rurſus in pulverem redacti ʒ j. & pul. Chryſocollæ ſive Boracis ʒ j. quæ ſimul contrita & commiſta in tegulam fuſoriam aurificum imponantur, & in furno calcinatorio liquefiant inſtar plumbi liquefacti & couſq; coquantur, donec extremitati ferreæ ſpatulæ liquefacto Antimonio immiſſæ Antimonium adhæreat, quod refrigeratum & lapidi aut ferro illitum inſtar vitri frangatur & politiſſimi Rubini gemmæ colorem diaphanum conſequatur: tum ex igne detractum ſuper marmore aut lapide polito inſtar teſſerarum aut paſtillorum rotundorum adhuc tepens cum ferrea ſpatula projiciatur, idq; gemma aut vitrum Antimonij nominari poteſt. Quod ratione crudi Antimonij & Boracis, quod prius calcinato ſtibio admiſcetur multis medicis ſubjectum eſt, alias ſanè præclariſſimas hoc vitrum habet facultates præcipuè purgatorias, & gratiſſimum eſt remedium propter

doſis.

ejus exiguam doſin: Ejus enim tria grana in mediocribus corporibus & quinq; in robuſtioribus, validiſſimè utramq; bilem & pituitam, omnemq; putridorum humorum colluviem & venenatas ſuperfluitates primum quidem per vomitum ac deinde per alvum, & quidem ſpatio dimidiæ horæ expurgat & efficaciſsimè educit. etſi non temerè & viribus planè deſtitutis exhibendum hoc remedium ſuaderem: tamen experientia deprehenſum eſt, nobiliſsimas vires habere in perſanandis difficillimis & complicatis morbis ex venenatis & putreſcentibus humoribus & intemperie ortis. Perſanat enim facilè, ſi prudenter habita ratione ætatis virium & naturæ morbi ex-

bi exhibeatur, diuturnas febres, καχεξίας, inveteratos capitis dolores, catharros & fluxiones continuas cerebri, præterea etiam pulmones & ventriculi inflammationem extinguit: cordis palpitationem sedat, respirationis difficultati auxiliatur, sitim sedat, & faucium linguæq; ariditatem lenit, appetentiam prostratam restituit, fuliginosas nidorosasq; eructationes compescit, pestilentem contagionem si tempestivè exhibeatur expellit, & omnium venenorum malitiam frangit, sed imprimis præsidio est omnibus morbis atrabilariis, ut Melancholiæ hypochondriacæ, Melancholicæ insaniæ Epilepsiæ & virulentis ulceribus. Dosis hujus vitri uti dixi mus est à gr. iij. ad vij. quæ quantitas, non nisi in robustis corporibus cum aliquo liquore exhiberi debet, aut admiscenda drachmæ uni *pulpæ Cassiæ* aut *Conf. rosarum.*

Vires.

Infusum ejus ex vino tutius propinatur.

Tinctura Antimonij quomodo paranda & quas habeat facultates.

Tinctura Antimonij

Tincturæ nomen inde sumptum est, quod hoc remedium assumptum per substantiam partium penetret, easq; tingat, dicitur *& quinta essentia Antimonij*, quæ hac ratione arte Chimica confici potest. Accipiatur Stibij puri & rutilantis in pulverem redacti pondus pro arbitrio & in furno reverberatorio per integrum mensem continuo igne in vitrea cucurbita luto Chimico probè occlusa calcinetur. Deinde rubea massa vel calx è vitro eximatur & in aliam vitream cucurbitam imponatur, eiq; adfundatur tantum spiritus vini liquoris, cujus parandi rationem in nostra Jatrochimia docebimus, ut liquor palmi latitudinem supra calcem Antimonij emi-

neat: quæ simul obturata macerentur per mensem in loco tepido indies agitando, deinde in ferventi arena vini spiritus subtrahatur destillando, subtractusq; liquor subinde feci Antimonij ter quaterq; infundatur, ac destillando subtrahatur, postremò reservetur liquor, qui *tinctura Antimonij dicitur*, cujus tincturæ solius usus etiam in minima quantitate, ut guttæ unius vix tutus est, ideoq; ut sine noxa assumi & usurpari queat, consultum est, ut tempore vindemiæ recentis musti & nondum per efferveſcentiam defecati pro arbitrio accepti singulis diebus sive ʒ xvj admisceatur, cujus tincturæ ʒ j & permittatur simul cum musto fervere donec mustum resideat vinumq; clarum evadat, quod *vinum Antimonij* nominari potest, cujus vires sunt excellentissimæ: Quem admodum enim Antimonium aurum ab omni sorde purificat, & in eo aliena metalla absumit, ita hujus vini sive tincturæ Antimonij si per mensem omni die ʒ iiij ebibantur, corpus universum ab omnibus vitiosis humoribus ac venenatis, omniq; intemperie atq; obstructionibus liberat ac purificat, & integram sanitatem efficacissimè restituit. Imprimis autem confert leprosis, morbo Gallico & scabie laborantibus; & fistulas, cancros, lichenas, omniaq; vitiosa ulcera persanat.

Tincturæ quidem appellationem præparatio hæc non meretur, nihil aliud est quam infusum. Vera Antimonij tinctura nullam κρᾶσιν sed solos sudores ciet. Vinum Antimonij

Oleum Antimonij quomodo parandum, & ejus facultates.

Variis modis ac rationibus per calcinationem, macerationem, resolutionem, destillationem, aliasq; laboriosas operationes elicitur *ol. ex Antimonio* Præstantiss. remedium, cum ad externas tum internas affectiones

nes, quas in nostra Iatrochimia docebimus. Hoc loco satis erit unum & alterum conficiendi modum breviter proposuisse. Primum itaq; accipiatur Antimonij puri & tenuissimè pulverisati q. ʒ. pro arbitrio, quod toties diluatur ac maceretur in aceto destillato semper acetum immutando donec omnis color rubeus Antimonij in acetum transeat, nec acetum amplius ab eo tingatur, quo facto illud acetum coloratum simul commixtum, priusq; colatum in vitream cucurbitam infundatur, cui galea rostrata imponatur & in ferventi arena vel cinere destilletur, in qua destillatione primò profluet aquosior pars aceti, deinde exibit mellei coloris liquor, qui pro *ol. Antimonij* conservetur; qui quidem liquor prius per circulationem in vitro pellicano, sive in duobus vitreis cucurbitis cum orificiis suis conglutinatis corrigatur ac rectificetur. Hoc quidem oleum intra corpus exhibere minimè tutum est, cum propter aceti destillati erosivam vim, tum propter Antimonij non satis digesti venenatam naturam. Foris autem & vulnera & ulcera virulenta cum lana xilina exceptum & eis impositum citissimè & facillimè persanat. Aliter modus *Olei Antimonij* eliciendi est similis destillationi *ol. vitrioli*, de quo paulò post, si nimirum accipiantur ℔. 6. *Antimonij* in pulverem redacti & toties calcinentur in furno calcinatorio, donec in pulverem rubrum redeat, qui in cucurbitam fictilem retortum collum habentem & luto Chimico incrustatam ponatur, & transversim in reverberatorium furnum collocetur, colloq; ejus amplissimo vitrum recipiens vocatum extra fornacem applicetur & luto Chimico adglutinetur. Deinde igne succenso initiò

Præparatio.

Huic oleo si ulterior cultura accesserit virtutibus suis etiam præstantissima remedia vincet.

tiò quidem lente destilletur, donec aquosior pars Antimonij profluat. Tandem liquore aqueo remoto vitrum recipiens immutetur ac valido ac fortissimo igne destillatio urgeatur. Tum enim nihil humoris prodire conspicitur, sed vitrum crasso vapore instar flammæ replebitur, ac ignis quidem violentus tantopere conservetur & destillatio urgeatur donec omnis vapor per se in liquorem condensetur in fundumq; vitri recipientis subsideat, vitrumq; rursum inclarescat, quo facto & furnus & vasa omnia sensim per se refrigerari permittantur, refrigerata excipiantur, & liquor Antimonij in aliam vitream cucurbitam transfundatur, eidemq; rostrata galea imponatur, & in ferventi arena si quid aquosi humoris oleo insit, subtrahatur, idq; quod infundo remanet *Ol. antimonij* erit, quod ante ejus usum ita rectificabitur: Si ter aut quater spiritus vini affundatur oleo, & per destillationem inferventi arena semper iterum subtrahatur. Easdem hoc oleum habet vires & longè præstantiores, quàm quæ in vitro Antimonij sunt commemorata. *Dosis* autem *ij gutt.* excedere minimè debet, quæ vel cum liquore aliquo vino nimirum cerevisia aut cum *Theriacæ Androm.* ʒj. exhiberi potest.

Antimonium perperam intra corpus ingestum, quæ inferat symptomata, & quibus turanda remediis.

Noxæ Antimonij perperam exhibiti.

Antimonium intempestivè vel non ritè præparatum intra corpus assumptum laboriosissimas & vomitiones & alvi dejectiones cum summa angustia infert. Hisce sym-

symptomatibus remedio sunt *vini potio* in quo *Cariophylli contusi & mastix* sunt incocta. Similiter & *cortices Arantiarum conditæ* aut *Cidonia condita* sæpè esitata, conferunt quoq; suavia odoramenta cerebrum corq; corroborantia. Antidota sunt *guttæ IV. ol. Caryophyll.* cum pauxillo vini assumptæ & ʒ ij. *Theriacæ Androm.* aut sequens pulvis. ℞. *Pull. Caryophyll. masticis, cornu cervi usti ana* ϑ j. Fiat pulvis tenuissimus qui cum *succo Citoniorum* exhibeatur. Extrinsecus verò plurimum confert applicuisse ventriculo *Emplast. de crusta panis* cujus faciendi ratio in libris pharmaceuticis extat, aut *lamina panis siliginei tosta & cum vino Cretico vel alio generoso conspersa*. *Remedia.*

Vitriolum quid, quæ ex eo parentur Chimica remedia. *Vitriolū.*

Χάλκανθον q. dicas χάλκε ἄνθος, i. e. flos cupri. Quia ut plurimum materia vitrioli infodinis cupriferis sive ærariis colligitur & effoditur. Latinis antiquis *atramentum sutorium*, recentioribus *Vitriolum* nostratibus Kupfferwerck vel Kupffer dicitur. Est autem vitriolum vapor humidus in cavernis & specubus montium excitatus & cavernarum parietibus accretus. Duplex reperitur vitriolum in montibus, Nativum sive stillaticium, quod in cavernis montium instillantibus vaporibus instar stiriæ concrescit, colore aluminis sive glaciei, quod nostris Weißkupfferrauch dicitur, eoq; in ocularibus collyriis utimur. Alterum est factitium, quod ex terrâ è montibus erutum & in glebas congestum instar salis nitri per macerationem & coctionem conficitur, quod colore- *Quid?* *Duplex Album & Viride cæruleum.*

lore aut viride est veluti Ungaricum aut cæruleum, quale est Hispanicum. Vitrioli quoq; species, sed hoc seculo ignota est, quam Veteres chalcitida nominabant, & Theriaces confectioni admiscebant, quam ego quidem salvo aliorum judicio nihil aliud esse arbitror, quam *Vitriolum factitium*, quod temporis diuturnitate ab aëris ambientis & solis irradiatione ac calore in calcem albam convertitur, id enim minus est venenatum. Tempore *Dioscoridis* Vitriolum intra corpus exhibebatur adversus alvi lumbricos & fungorum venenatorum commestionem, & nos non semel vidimus à vetulis inter rusticos nucis avellanæ quantitate vitrioli viridis cum aqua tepida contra febrim non sine felici successu exhibitam esse. Validissimè enim per vomitum pituitosam colluviem exturbat. Et ipse postea tenuioris fortunæ rusticis, pituitosam habentibus constitutionem, & quotidiana febri laborantibus feliciter exhibui, sed soleo prius hac ratione præparare. R. *vitrioli* ʒ j. *& in aqua rosacea resolvo aquamq; affusam in ferventi aquâ rursum evaporare sino*, & ubi necessitas exigit ejus ʒ. j. in pulv. redactam *cum aq. rosac.* exhibeo, quod me nunquam fefellit in pituitosis corporibus. Præparantur autem ex vitriolo arte Chimica, duo præstantissima utilissimaq; in arte medica remedia. *Oleum & Aqua*, quam Chimici ineptè *phlegma* vocant, utrumq; autem una operatione ita conficitur: *Accipiatur chalcanth. sive vitrioli puri. at si haberi potest. Ungar.* ℔. *7. quod pulveris.* in ollam novam nondum coctam imponatur, operculoq; novo contegatur & in fornacem figulinam, una cum coquendis ollis collocetur & simul concoquatur, Ut in calcem rubeam con-

Chalcitis ignota.

Usus Empiricus vitrioli.

Usus rationalis.

Experimentum.

concreſcat. Deinde excipiatur, & rurſum in pul. redigatur, & in cucurbitam fictilem oblongi & intorti colli, luto Chimico prius benè incruſtatam reponatur: Ita tamen, ut cucurbitæ tertia pars vacua relinquatur, ac deinde in furnum reverberatorium transverſim collocetur, ita ut ejus collum perforamen parietis furni prominеat. Ejus deinde cucurbitæ collo, vas vitreum ſubjiciatur ac cum eo luto Chimico coaptetur ac conglutinetur. Denicq; ignis ex carbonibus primum quidem lentus, deinde validior ſuccendatur ac deſtilletur, Inter deſtillandum primum quidem prodibit aqueus humor, qui ubi in univerſum profluxit, ſubſequitur albus vapor, qui vitrum recipiens univerſum implet, tum removeatur vitrum recipiens cum aqua vitrioli, & novum idq; ampliſſimum recipiens vitrum ſubjiciatur, collocq; cucurbitæ conglutinetur, ignisq; magis ac magis augeatur, & tamdiu deſtilletur, donec vapores in vitro recipientis inſtar flammæ moveantur, & donec hi vapores in liquorē reſoluti in fundum Recipiētis vitri ſubſideāt, & vitrum iterum inclareſcat; Tum tandem non amplius ignis urgeatur, ſed ſponte & per ſe & furnus & vaſa omnia refrigerari permittantur, quibus refrigeratis collectus in vitreo receptaculo humor in aliam vitream cucurbitam effundatur, etſi quæ in eo aquoſior pars remanſiſſe ſuſpicio ſit, ea ſubtrahatur hac ratione: Cucurbita vitrea cum liquore Chalcanthi in tepidum balneum Mariæ collocetur & probè obturatus per triduum in eo maceretur ac digeratur. Exemptæ cucurbitulæ galea roſtrata imponatur & in ferventi arena deſtilletur, per eam ſiquidem deſtillationem omnis aquoſi li-

quoris pars profluet, & *ol. vitr.* pingue in vitro remanebit. Hoc ipsum tandem ol. purificetur ac corrigatur ab omni venenata qualitate admixta illi dupla proportione ad oleum vino sublimato, & cum eo ter aut quater, ut dictum est, in ferventi arena destilletur, semper novum vinum sublimatum addendo. Ita enim ab illo subtrahitur vinum & in eo omnis venenata qualitas, oleum enim purissimum & rectificatum in fundo cucurbitæ manebit. Admirandæ, & probè divinæ sunt hujus olei vires & efficaciæ, maximè in morbis ex frigida & putrida colluvie ortis. Ut multæ ita & nobilissimæ sunt vires & efficaciæ cum aq. tum ol. vitr. & aqua quidem, quæ in destillatione primum profluxit commodissimè uti possumus, ad mundificationem & absterſionem sordidorum ulcerum & scabiei, & putrescentes gingivas in scorbuto; similiter & in Aphtis ulcusculisq; faucium & linguæ, si eo ulcera colluantur, aut linteolo excepta eis imponatur. Oris autem ulcusculis si ea cum *melle Rosar.* mixta illiniatur. Olei verò admiranda vis est in plurimis morbis facilè persanandis: Confert enim febribus omnibus ex putridis humoribus ortis. Confert præterea Cephalalgiæ, Hemicraniæ Apopl. & Epilepſ. cum *aq. Lavend.* exhibitum. Auxiliatur ventriculi affectionibus ex crudis & pituitosis humoribus generatis, ejusq; imbecillitati & appetentiæ prostrationi, Item Nauseæ vomitioni & singultui, si cum *vino generoso* aut *aqua Menthæ* propinetur, deglutitionis difficultati ex refrigerata gula medetur. Epatis Lienis & Renum obstructiones tollit, in eisq; bilem flavam crassam, Melancholicum humorem & pituitosam colluviem extenuat, & expellit.

Ol. Vitrioli vires.

Vires aquæ.

pellit, & deinde Hydropi, Scorbuto, Icteritiæ & Cachexiæ medetur, & tollit omnes febres (exceptis ardentibus & Hectica) cum *aq. Card. Bened.* sumptum, Intestina refrigerata excalefacit & Venas Mesar. ab obstructione liberat; ideoq; colico & Ilij doloribus ex frigida & crassa pituita vaporibusq; flatulentis ortis, confert, & lumbricos potenter expellit, Renum & vesicæ obstructiones aperit, calculum comminuit, & urinam provocat; verùm in calculo urinæq; suppressione non ante est exhibendum, priusquam alvus vel leni Clystere aut cathartico subducta sit: Mensibus suppressis purgato prius corpore felici successu propinari potest: Uterum enim refrigeratum calefacit, & ad concipiendum idoneum reddit, Articularibus morbis, veluti sunt Arthritis, Podagra, Chiragra, coxendix & spasmus, ex frigidis defluxionibus excitatis, egregiè auxiliatur, tum intra corpus assumptum, tum foris illitum. Sigillatim autem extrinsecus corpori utilissimè illinitur, cum aliis lentis oleis aut liquoribus, commixtum & impositum, cervici quidem in Apopl. & Epilepsi. dorsi verò spinæ in paralysi: Articulis autem in morbis articularibus, futuræ coronali & temporibus in capitis & dentium doloribus, orificio Ventriculi, refrigerato Stomacho, Diaphragmati in viscerũ obstructionibus, Hypogastrio in uteri refrigeratione; Et instar Epithematis feliciter imponi potest, Erysipelati, *cum aq. Sambuci* commixtum. In Aphtis & exulceratione faucium, linguæ & tonsillarum & putrefactione Gingivarum utilissimè illinitur cum *melle rosa.* mixtum. Dentium dolores cum lana xilina exceptum, & excavato denti insertum statim omnem dolorem sedat,

& si confricentur eo dentes, reddit eos candidissimos, sed crebra ejus illinitio, vitanda est, Emollit enim, & instar cretæ frangibiles reddit dentes, pustulas faciei si illiniatur aufert, & Verrucas die Warzen & clavos die Lyck-dorn, si prius convulnerentur & gutta ejus olei instilletur extirpat, & radicitus absumit. Porrò verò in olei vitrioli usurpatione præsertim intra corpus tria sunt potissimum observanda. I. Ut sit ritè & probè paratum, destillatum, ac deinde rectificatum, aliàs enim facilè interna viscera inflammare & perniciem inferre potest. II. Ut intra corpus nemo utatur, nisi ex consilio exercitatiss. Medici. III. Ut in convenienti mensura assumatur, quibus & IV. adjici potest, videlicet ut ante assumptionem corpus leniter expurgetur. Est autem Dosis sive exhibendi mensura olei Vitrioli habita ratione ætatis & virium, atque qualitatis morbi *à gr. III. ad gr. 9.* cum quibus cochlearibus vel vini, vel stillaticij alicujus liquoris: Id quoq; commonefactionis causa addam, sedulò esse vitandam impostaram quorundam Chimicorum qui *ol. vitr.* vel non ritè paratum vendunt, vel alias impostaras cum eo exercent. Narravit enim mihi quondam doctus Adolescens *Matthæus Svvindius, Leonhardi Thurnhuseri Berolinensis* indoctiss. & maledicentiss. Chimistæ Amanuensis ipsum *Thurnhuserum ol. vitrioli* aliquo colore tingere solere, ut aureo & pro auro potabili, aut rubeo & pro tinctura corallij, aut viridi & pro tinctura smaragdi, aut cæruleo & pro tinctura Hyacinthi, aut splendidissimo & pro essentia Margaritarum principibus viris magno precio vendere; quam ipsius impostaram mirabili ratione Deum puniturum minimè est dubium.

Observanda circa ol. vitrioli usum.

Dosis.

NB

Primo periit, qui fumum vendidit.

Vitrio-

Vitriolum quæ inferat symptomata, & quibus ea curanda remediis.

Vitriolum crudum, aut perperam præparatum & assumtum nauseam & vomitionem excitat, & si non statim per vomitum ejiciatur, tandem & ventriculum erodit & intestina excruciat, Dysenteriamq; excitat, sitimq; intolerabilem infert. CURATUR, si maturè quàm primum est assumptum per vomitum ejiciatur, assumpta prius *aq. cum ol. Anethi*, sedato vomitu, confert plurimum *recens Butyrum* subinde largiùs gustare, & si erosio in intestinis sentiatur, proderit *ex cremore Ptisanæ & ol. Rosar.* in intestina clysterem infundere, postea eidem *aqua Hord. cum Syr. violar.* sæpe bibenda præbeatur, *Pro Antidoto Terræ Lemniæ ʒ ii. Mucag. se citon. ʒ5. cum aq. hord. propinentur.*

Noxæ Vitrioli.

Cura.

Arsenicum, Auripigmentum, Sandaraca, & Realgar. quid; quæ inferant symptomata, & quibus ea remediis curanda.

Arsenicum, Auripigmentum, Operment oder Rottenstrudt. Arsenici tres sunt species ejusdem naturæ in iisdem fodinis repertæ, iisdemq; venenatis & urentibus qualitatibus imbutæ, eademq; inferunt symptomata & ijsdem curantur remediis. Sunt vero Arsenici species omnes lapidosæ substantiæ, quæ in squamas findi possunt, & solo colore inter se differunt. *albo, rubeo & aureo.* Album officinæ vocant *Arsenicum album:* Rubrum verò Græci *Sandaracam*, officinæ *Arsenicum rubrum* vocant. Aureo verò colore splendens solum vocant, *Auripigmen-*

Arsenici.

gmentum, quo & pictores & librorum compactores intingendis librorum marginibus frequentissimè utuntur. *Realgar* quoq; venenata materia, non aliud est, quàm Arsenicum cum pauco sulphure & sale calcinatum. Hæ omnes Auripigmenti species intra corpus assumptæ sæviss. excitant symptomata, ventriculum enim & Intestina cum vehementi cruciatu erodunt, quam erosionem, ut plurimum sequitur Dysenteria interdum etiam spasmus & paralysis. Præteria fauces & linguam arefaciunt, & sitim intolerabilem inferunt, quibus accedit & difficultas meiendi, cum difficultate respirationis.

Noxæ.

Curatio. CURATIO symptomatum ex assumpto Auripigmento sive Arsenico est ut initio æger arceatur à somno, donec venenata materia per vomitum sit evacuata, hausto prius *de cocto semin. Rapæ & Atriplicis in quo Butyr. recens aut ol. Lini sit liquefactum*, & deinde, si cruciatus intestina affligant, *clyster ex decocto seminis lini Malv. & Violar. flor. confectum cuiq; ol. violar. & pulpa Cass. sit admixta* applicetur, cui & *Mucago psylij* commodè admisceri potest. Quo facto, confert plurimum subinde *recenti butyro & lacte tepido*, in quo *semen lini* sit incoctum uti. Conferunt quoq; *jusculæ pinguia, cremor ptisanæ & oriza cum lacte cocta.* Antidotum adversus venena Auripigmenti est *pul. tenuiss. cristalli fossilis. ʒ1. cum ol. Amigd. dulc.* exhibita. Ariditati linguæ ex Arsenico prodest *Mucag. sem. Lini aut citon. cum Syr. Viola.* mixtam subinde linguæ & fauçibus illinire.

Antidotus

Alumen

Alumen quid, quæ inferat ſymptomata & quibus curanda remediis.

Στυπτηρία Allun. Excoquitur alumen noſtrum ex lapidea materia è montibus quibusdam effoſſa. Deinde comminuta, calcinata & macerata, quemadmodum *ſal nitri*. Alumen vehementer aſtringit, & in igne in calcem aduritur. In aqua verò inſtar ſalis in liquorem reſolvitur. Veteribus plura fuerunt aluminis genera, quæ nobis omnia nunc ignota ſunt. Utimur alumine in medicamentis foris applicandis. Intra corpus autem nemo ſine noxa eo uti poteſt, & utuntur eo tinctores pannorum: pulvis Aluminis uſti carnes excreſcentes in vulneribus exſtirpat & abſumit. Intra corpus aſſumptum alumen, hæc infert ſymptomata. Alvi meatus obſtruit, atq; conſtringit, ventriculumq; ſubvertit, & nauſeam parit, anxietatemq; inducit.

Facultates Aluminū ſpecies nobis incognitæ.

Uſus internus nullus in quadratis tamen corporibus febrifugum eſt.

Externus uſus.

Noxæ.

Curatio.

Antid.

CURATIO horum ſyptomatum. Ex Alumine eſt crebra eſitatio *pulpæ caſſ. fiſtularis & cremoris ptiſanæ lactisq; potitatio.* Antidotum ejus eſt *ol. vitr. ſi gutt. 7. cum iij cochl. vini exhibeantur.*

Gypſum quid, quæ inferat ſymptomata & quibus curanda remediis.

γύψος Gypſum, Gyps / oder Marien Eiß / foſsile eſt lapideum, quod in laminas ſcindi poteſt. Ex Gypſo peculiari arte parato, candidiſsima & terſiſsima vaſa utenſilia quæ *Alabraſtina* vocantur, conficiuntur, Gypſum ſive crudum, ſive calcinatum intenuiſſ. pulv. redactum, & media parte farinæ, quæ molendinarum parietibus

Gypſum.

Uſus œconomicus.

Topicum usus in hæmorrhagiis.

tibus insidet commixtum, atq; deinde cum albumine Ovi in Linimenti formam redactum pilisq; leporinis exceptum ac vulneribus aut naribus impositum omnem sanguinis eruptionem compescit.

Noxa.

Intra corpus sumptum venenata sua proprietate noxium est, & periculosa excitat symptomata. Tusses vehementes, singultum, Rationis perturbationem, ac postremò uti *Dioscorides* docet, strangulando jugulat, constringendo meatus respirationis.

CURATIO Symptomatum Ex Gypso. in principio est Gypsi assumpti revomitio *exhausta prius aqua tepida cum largo butyro liquefacto, aut ol. Amygd. dulc. ei admixto.* Deinde propinetur subinde potandum ægroto

Antid.

decoctum rad. & sem. Malvæ Alth. Fœnu græci. Vtaturq; pinguioribus jusculis; Antidotum Veneni ex gypso est *ol. vitr. si ejus ℈. ß. post vomitum exhibeatur aut gut. 7. ol. Angel. aut Ther. Andro. ℈j. ß. cum aq. Junip. mixtæ.* Solet assumptum Gypsum & alvi obstructionem inferre, quàm *clysteribus ex decocto Malvæ & fl. chamæm. cum Hyer. pier. & ol. Aneth. tollitur.* Confert & purgatio *cum pulpa cass. fist.* Reliqua Remediorum genera ex ceruſſæ & fungorum assumptorum curatione peti possunt.

Nitrum quid, quæ inferat symptomata & quibus remediis curanda.

Nitrum

Νίτρον Nitrum, *Arabibus*, Bauras, officinis sal nitri & Salpetræ Germ. Salpeter nominatur. Differt autem plurimum Nitrum nostrum à Veterum nitro, quod hodie nusquam notum est.

quid?

Nostrum autem *Salpetrum* est species salis ex terra multa urina Jumentorum imbu-

ta

ta & putrefacta, in locis solitarijs inventa, macerata & excocta, instar aluminis concreta. *Aphronitron* verò, cujus veteres mentionem faciunt, & hoc ipsum ignotum est. Latinis spuma sive flos Nitri vocari potest, cui successit sal candidum ex parietibus & muris antiquis cellariorum instar pruinæ efflorescens. Nitrum sive Salpetræ valdè tenuis & aëreæ est substantiæ, ideoq; admiscetur pulveri tormentario sive bombardico, citissimè enim flammam concipit; & crepitum edit, in fumumq; dissolvitur accensum; Utuntur Chimici Sale nitri ad destillationem *aq. fortis* vocatæ. Habet Salpetrum & hanc utilitatem, quod si æstivis mensibus vinum aut cerevisia in aquam frigidam in cantharis collocetur, & eidem aquæ non nihil salpetræ aspergatur eam calefieri non sinit, sed reddit potum frigidissimum. Valet præterea sal nitri ad scabiem, si cum aliquo liquore vel ol. commixtum inungatur. Pulvis tormentarius *ex nitro & sulphure* in pituitosis febribus exhibitus eas facilè persanat. Symptomata excitat Sal nitrum, si intra corpus assumatur, ventriculi nimirum subversionem, Nauseam & continuam instar Aluminis expuitionem.

Aphronitri succedaneum.

Usus nitri

pul. Tormentarius in febribus præsertim Ungaricis prodest.

Symptomata.

CURATIO SYMPTOMATVM. Assumpti Nitri, in principio evomitio tentanda est, assumpta *aq. tepida cum Butyr. aut ol. olivarum mixta.* Deinde vinum potandum exhibeatur, in quo *Carioph.* ebullierunt. Pro antidoto exhibeantur *gutt. 7. ol. carioph. cum hauſt. vini.*

Antid.

Sal Hammoniacum quid, quæ inferat Symptomata & quibus curanda remediis.

Sal Ammoniacū. Sal Hammoniacum q. d. Arenaceum ἄμμος seu ψάμμος Græcis Arenam significat, est quo Chimici & aurifices frequentissimè utuntur, idq; corruptè salem Armeniacum nostri Salmiak vocant. Est species salis colore Alumen imitans, nisi quod nigriores sordes infundo ejus subsediſſe conſpiciantur, unde constat *Sal Ammon.* nostrum factitium esse, & arte Chimica excoctum, forsan ex calcis & aluminis cum urina commistione (ejus enim materia scripto quod sciam nondum est prodita) Differt autem *Sal Ammoniac.* à veterum *Sale Hammoniaco*, quo hæc ætas destituta est, Nostrum *Sal Ammon.* astringit & exiccat vehementer, & metalla erodit. Ejus itaq; pulviſculo tubercula dura in lingua ex morbo Gallico exorta, si crebrò confricentur eradicari possunt, & ulcera faucium *cum aq. roſar.* illitum facillime abstergit & sanat, symptomata si intra corpus ingeratur, excitat Sal Ammo. similia Mercurio sublimato aut Arsenico. Ventriculum enim, & inteſtina exurit, linguam arefacit, & fauces exulcerat, sitimq; vehementem inducit.

quid?

qualitates

uſus.

Symptomata.

Curatio. CVRATIO Veneni ex Sale Ammoniaco eadem est cum curatione symptomatum ex Mercurio sublimato aut Arsenico ortorum ex quibus locis remedia peti possunt.

Borax quid, quæ inferat symptomata & quibus curanda remediis.

Borax. Χρυσοκόλλα q. d. Gluten auri, eo quod Aurifices Borace ferruminant & conglutinant aurum, officinis *Borax*, nostris Borras. Verùm Borax aurifabrorum plurimum differt à Chrysocolla veterum, quæ Prasſini seu porracei viri-

viridisq; est coloris, nec ejus usus amplius est in arte medica. Noster autem Borax, nitri factitij colorem refert, & ipse factitius est. Etsi autem ejus natura ob individuam artificum nondum est patefacta, tamen procul dubio conficitur ex Alumine, Vitri Spuma quam *fel. vitri* vocant, Nitro & Sacha. candi cum urina maceratis, & tandem instar salis nitri excoctis. Borax parvum habet in arte medica usum; & intra corpus assumptus venenum reputatur. Foris autem Vnguentis admiscetur cosmeticis, ad venustandam faciem. Ego verò semper felici successu ejus pulv. in mulieribus difficulter parturientibus sum usus. Pulvis autem hac ratione conficitur. ℞ *Boracis* ℈ *ij succin. albiss.* ℈ *j. croci* ℈ *ß. tenuiss. contrita misceantur, & cum haustu vini parturientibus exhibeatur*, facile enim liberat, & fœtum educit sine noxa. Symptomata infert Borax si ultra justam mensuram intra corpus ingeratur, qualia sal nitrum infert. Ex curatione itaq; salis nitri & harum Symptomatum curatio est petenda.

Noster borax factitius.

Præparatio.

NB

Noxa.

Calx quid, quæ ejus symptomata & quomodo curanda.

Ἄσβεστος Calx, quo nomine Græci non extinctam calcem potissimum ornant. Calces ex calcario lapide albicante & è scopulis divulso, qui passim ad hæc borialia loca *ex Norvegia* navibus adportantur, aut ex terra calcinosa, qualis est *Pannonica*; Vrendi & conficiendi ratio omnibus est nota. Calx non extincta, *viva* dicitur, quæ cuti crustas infert exurendo. Calx autem aquâ conspersâ & extinctâ, non tantum ad exstruenda ædi-

Viva.

Usus. ædificia, sed ad plurima externa remedia, utilissima est. Nam pulvis tenuissimus ex calce cum *aq. rosac.* ter quaterve elotus, & rursum in pulv. redactus, magno præsidio est ulceribus pudendi ex Venerea lue contractis, si eo inspergatur; abstergit enim & absumit omnes in eo impuritates, & cicatricem citò inducit. Paratur & liquor è calce viva utilissimus ad omnia ulcera sordida persananda, si eo ulcera colluantur, & instar *Epithem.* linteolis exceptus eisdem imponatur, qui hac ratione confici debet. Accipiatur *talcis vivæ* pro arbitrio q. s. & in ollam novam conjiciatur, eidemq; *aqua fervens pura* affundatur, & simul subigantur, spumam subinde auferendo, sicq; per triduum simul macerentur quotidie bis tervè movendo spumamq; auferendo, Tandem ubi calx subsederit in ipsam ollam margo panni aut pannus mundus duorum digitorum latitudinis liquori imponatur, ita ut ejus media pars in liquore mergatur; Altera verò pars ex olla propendeat, & propendulæ parti panni vitreum vas subjiciatur: ita enim per pannum sensim omnis liquor limpidus & clarus à calce extillabit. Quo collecto & tepefacto singulis diebus eluantur ulcera, & linteolis exceptus imponatur. Sanat enim sine dolore & molestia & omnem inflammationem aufert, ulcusq; carne sana complet. Hæc ipsa aqua ambustis partibus imposita præsentiss. est remedium. *sicuti & salsugo ex Butyro salito sudoris instar profluens.* Nunquam enim ambustis partibus ut imprudentes Chirurgi faciunt, refrigerantia & repercutientia sunt imponenda. Efficacius est remedium ad ambusta, si calx viva in decocto raparum extinguatur, & ipsa aqua Epithematis modo,

pulvis in ulceribus venereis.

Liquor. C. V.

Præparandi modus.

Usus ejus præsens in ambustis.

taxantur Chirurgi imprudentes.

Aliud in ambustis.

modo, inflammatis partibus imponatur, dolorem enim citissimè aufert & brevi tempore persanat. Ex *calcis vivæ & auripigmenti ana* ℥. 5. simul contritis & in acri lixivio decoctis, donec pultis crassitiem consequantur & si penna immergatur, ac plumæ decedant, si loco aliquo piloso quem glabrum esse cupimus inungatur, pilos omnes radicitus evellit. Sed cavendum est statim ubi pili deciderunt, ne amplius eo in loco relinquatur Pharmacum, quia cutem exulcerat, sed abluatur calx aqua & inungatur locus *ol. rosar.* Intra corpus assumpta calx pernitiosa infert symptomata similia symptomatibus ex Arsenico assumto aut Mercurio sublimato & cantharid. ut sunt ventr. & intest. ex erosione cruciatus, faucium & linguæ ariditas, inexplebilis sitis, Tussis, Respirationis difficultas, urinæ suppressio, & Dysenteria. Non autem ex assumptione calcis duntaxat talia excitantur symptomata; verùm etiam ex calcis vapore nidoreq; per inspirationem intra corpus hausto. Quare sedulò cavendum est, ne diutius quis in conclavibus calce noviter illitis commoretur: eâ ratione vaporis extinctus est nobilissimus & prudentissimus vir *Georgius à Platen* Rugiæ præfectus, qui cum *Wolgasti* in nuptiis *Ducis Ernesti Ludov.* clementiss. nostri Principis in conclavi pridie calce oblinito, commorari cogeretur propter hospitiorum penuriam, & in Peripneumoniam, Catharrum, Tussim, & in extinguibilem sitim incidit, & paulò post interiit. Pari ratione cavendum est à largiori potu vinorum, quæ in loco calce scaturiente nata sunt, qualia sunt: *Hungarica, Gallica & Misnicorum pars benè magna*, ex quorum largiori potu non tantum præscripta symptomata,

Phlegmon.

Cautio.

Noxæ calcis assumptæ.

Inspiratio ex calcis vaporibus exitiosa.

sed & ardentes febres, nervorum contractiones, & paralyses excitantur.

Curatio. CVRATIO SYMPTOMATVM ex calce perficitur potionibus lenientibus & lubricantibus calcisq; acrimoniam refringentibus; Conveniunt itaq; per os crebra potatio *decocti rad. & se. Mal. Alth. se. Lini & Syr. Violar. & pulp. cass.* Per intestina autem conducunt *Clysteria ex decocto Malvæ Pulpa Cass. & Mucag. sem: Psylij confecta.* In cibo verò prosunt *Butyrum rec. Lac tepidum, cremor ptisanæ Avenaceæ & orizæ cum lacte cocta.* Antidotum veneni calcis est ʒ. ii. *Terræ Lemniæ cum aq. rosar. aut lacte assumptæ.* Plura quæ ad curationem attinent ex curatione Arsenici & cantharidum peti debent.

Vitrum quid, quæ inferat symptomata & quibus curanda remediis.

Vitrum Consideratio vitri Theologica. ☥ Ὑαλος seu Ὕελος *Vitrum*: pulcherrima in Vitri conficiendi ratione imago nobis proponitur resurrectionis corporum nostrorum in novissimo die. Vt enim artificis manus excinere conflat splendidissima corpora vitrea, ita filius Dei ex cinere corporum nostrorum excitabit pulcherrima & quovis crystallo splendidiora animabus nostris organa, in quibus æternâ lætitiâ conditorem nostrum celebrare queamus. Conflatur vitrum ex cinere & arena combusta, *Plinius lib. 36. cap. 26.* dicit vitri conficiendi rationem primum à nautis in littore repertam esse, qui cum ad arenosum littus appulissent in navibus nitri glebas ferentes, & lapidibus destituti fornaces ad coquenda edulia extruere volentes nitri glebas in arena pro lapidibus disposuerunt, quæ Nitri gleba ex succen-

Præparatio.

Inventio.

ſuccenſo igne liquefacta, arenæq; candenti mixta in vitream ſubſtantiam confluxit, ac concrevit, & inde tandem artificium excogitatum eſſe, ut ex violentia ignis ex Cineribus nitidiſsima vitrea vaſa conficerentur. Idem *Plinius* ſcribit ætate *Tyberij Imperatoris* eam fuiſſe excogitatam vitri temperiem & conficiendi rationem, quod vitra æquè ac metalla malleo extendi & ductilia reddi potuerint. Quod *Tyberius Cæſar* agnoſcens totam officinam artificis abolevit, & deſtruxit, ne auri & argenti pretio detraheretur. Nobiliſsima vitra fiunt ex cineribus & fragmentis criſtalli lapidis combuſtis & liquefactis, quæ *vitra criſtallina* vocantur. Etſi autem vitrum ex cineribus confletur, non tamen ipſe cinis naturæ & ſubſtantiæ eſt vitri, ſed ipſa humiditas radicalis puriſsima quæ per ſubſtantiam corporum incineratorum ſparſa erat, quæ ex violentia ignis in operatione vitri confluit. Extat in officinis ſalis cujusdam fuſi ſpecies, quam *Fel vitri* vocant, noſtri Glaßgall, quo aurifices quandoq; in penuria boracis utuntur. Ejus naturæ mentionem nemo hactenus, quod quidem ſciam, fecit: Exiſtimo tamen *fel vitri* non eſſe aliud, quam ſpumam ex liquefactis vitris. Veterinarij jumentorum Medici pulv. hujus fellis vitri in equorum oculos ſufflant, ubi equi unguc, id eſt, pellicula in oculis pronata, laborant & excæcantur, eam enim hic pulvis erodit, abſtergit & exſtirpat. Symptomata vitri aſſumpti ſimilia ſunt ſymptomatibus Arſenici & calcis vivæ, erodit enim cum cruciatu internam tunicam ventriculi inteſtinorum & Dyſenteriam adfert.

Cryſtallina vitra.
Materia vitri.
Spiritus Salini Chymicorum hoc opus peragunt.
Fel vitri quid?
Symptomata vitri aſſumpti.

CVRATIO, aſſumpti vitri matura revomitio eſt aſſum-

Curatio.

assumpto haustu *aq. calid.* cum copioso *recenti Butyro.* Conducunt quoq; *Butyri recentis & pinguiorum jusculorum crebræ esitationes & potationes decocti radic. seminumq; lubricantium, ut sunt rad. & sem. Malvæ Alth. Lini & fænugræci.* Prodest & alvum crebro subducere *pulpa cass.* devorata. Antidoti loco exhibeantur *terræ Lemniæ aut Boli Arme. ʒ. ii. cum lacte tepido.* Reliqua ex curatione Arsenici & calcis peti possunt.

Antid.

Qui Lapides venenata sua proprietate noxij sint hominibus.

Lapides quoq; non immerito inter Mineras numerari possunt. Ex lapidibus autem Venenata qualitate maximè imbuti sunt, *Lapis Lazuli, Lap. Armenius & Lapis Magnetes.*

Lapis lazuli quid, quæ inferat symptomata & quibus ea curanda remediis.

Lapis Lazuli. Λίθος κυάνεος *Lapis Cæruleus* & officinis *Lapis Lazuli* nostris Lasurstein/ ex quo non secus ac ex argento, ut supra ostendimus cæruleus color pictorum quem *Lasurinum* vocant, conficitur. Optimus autem est Lapis cæruleus, qui aureis maculis scintillat, qui tamen rarò apud nos reperitur. Reperitur autem copiosè in Germaniæ fodinis, qui probè & multum elotus ac præparatus in officinis alijs medicamentis ac potissimum *pillulis è lap. Lasuli* vocatis commiscetur, cujus vires sunt atram bilem evacuare, & inde natam insaniam tollere possunt. Crudus autem & non elotus lapis cœruleus, si intra corpus assumatur, symptomata infert, cruciatum & subversionem

Nota opt. lazuli.

Extr. lap. lazuli insigne in insania &

versionem ventriculi & tormina intestinorum, anxietatem & vomitionem, & sinistri hypochondrij dolorem; Erodit enim, & putrefacit sua proprietate. Horum symptomatum ex *lap. Lazuli* curationem præcedat *vomitio cum hausto aq. tepidæ, aut cum aq. Juniperi per descensum destill.* Deinde subducatur alvus *per clysterem ex decocto Malvæ Hord. & viola. cui pulpa cass. & ol. rosa. est commixtum.* Confert & crebra potatio *lactis caprilli tepidi* & esitatio *recentis butyri & cremoris ptisanæ hord.* Antidotum ejus est *pul. ex succino albiss. & coral. rub. præp. ana. ʒ. ſ. cum vino assumptus.*

melãchol. affectionibus.
Noxa.
Curatio.
Antidot.

Lapis Armenius quid, quæ inferat symptomata & quibus curanda remediis.

Lapis Lasuli & Lap. Armenius in eisdem fodinis non tantum in *Armenia*, sed in *Germania*, & in eadem gleba eruta, promiscue reperiuntur, & nec viribus aut efficacia admodum inter se differunt, nisi colore & substantiæ densitate; colore enim Lapis Lasuli cœruleus est; Armenius autem æruginis colorem ex cœruleo virescentem habet, & mollior friabiliorq́, i. e. frangibilior est, quam Lapis Lasuli. Lapis Armenius per crebras ablutiones præparatur, ut de Lap. Lazuli est dictum, & *pondere à ℈. j. ad ʒ. j. cum aliquo liquore* exhibitus, teste *Alexandro Tralliano* Melancholicam colluviem & infra expurgat, & Melancholicos morbos, dementiam, lepram & similes tollit. Non præparatus autem si intra corpus ingeratur, eadem infert symptomata, quæ *Lap. Lasuli*, & eisdem curari potest remediis.

Lapis Armenius.

Parva inter lap. laz. & armenium differentia, nisi colore.

Lapis magnes quid, quæ inferat symptomata & quibus curanda remediis.

Magnes. λίθος μαγνήτις ἢ συδήρος, i. e. *Lapis Magnes aut ferreus*, qui & *Lapis Herculeus* dicitur, noſtratibus ein Magnet oder Siegelſtein. Eruitur Lapis Magnes in montibus.

Ortus. *Herciniæ* circa *Goslariam* ut plurimum colore ferreo vel

Miranda in Magnete. ex nigro ruffeſcente. Duo memorabilia miracula conſpiciuntur in Magnete, quorum cauſas nullus Philoſophorum hactenus reddere potuit. I. Quod Magnes ſua ſubſtantiali forma & ſympathia latenteq; proprietate ferrum validiſſimè ad ſe alliciat, ac trahat non tantum proximum, ſed & per aliud ferrum Magneti adhærens, ita ut acus adhærens magneti, aliam acum, & ea rurſum aliam atq;, aliam uſq; ad ſeptenarium numerum ad ſe trahat, & alia ab alia dependeat. II. Eſt ferreus index

Acus nautica. in nauticis & horariis pixidibus quas Plinius Verſonas, noſtri autem ein Compas vocant, is inquam index ſua alterâ extremitate, perpetuò in boream verſus polum arcticum ſe convertit. Ejus itaq; beneficio nautæ omnes ſuos curſus, dirigunt, & perficiunt; Magnetum tamen ejusmodi ἐνέργια attrahendi ferri hebetatur & extinguitur; Si Magneti apponatur gemma Adamantis aut ſaphyri albi, aut ſi obliniatur ſucco Allij aut oleo aliavè

Noxæ aſſumpti. pinguedine; Magnes intra corpus aſſumptus id tantum ſymptoma infert, ut rationem perturbet, & Melancholicam inſaniam excitet.

CURATIO ejusdem ſymptomatis eſt matura evomitio aſſumpti Magnetis, ex hauſtis prius. ℥ *V. aq. Junip. per deſcenſum deſtillat.* Aut aſſumptis *gr. iij. Vitri Antimon.*

mon. cum ʒj. conserv. Roris m. ac deinde confert alvum quoq; Clystere ex decocto Malvæ Althæ. Bethon. Scordij & Melilot. parato cui Hyera simplex & ol. Amygd. dulc. sit admixtum, subducere, aut intestina evacuare ʒ. X. pulpæ cass. Antidotum veneni Magnetis sunt, ʒ. II. Ther. Andr. aut seq. pul. ʒ I. R. Auri puriss. derasi ∋. i. Unicornu aut ejus loco cornu cervi: circa calend. septemb. capti coral. rub. præp. ana ∋ j. Misc. f. pul. qui cum vino exhibeatur. *Antid.*

Vapores venenati in montium cavernis & specubus quæ inferant symptomata, & quibus eadem curanda remediis.

Ἀτμὸς vapor vel ἀναπνοὴ, halitus, est quælibet exhalatio à calore in visceribus terræ contento excitatus, sive is sit humidus sive siccus, squalidusq;. In fodinis & cuniculis montium sæpe venenati vapores excitantur, qui tanquam densæ nubes elevantur adeo pernicioſi, ut nisi fossores metallorum in montibus existentes proni in terram se prosternant, & respirationem contineant, eos omnes suffocari necesse est, & tamen ex tali vapore, utplurimum respirationis difficultatem & nervorum convulsionem concipiunt. Simile quid accidit quoq; ab aere in cellariis & specubus longo tempore occlusis corrupto & putrefacto, si quis temerè eos ingrediatur, is enim per respirationem aeris corrupti intra corpus hausti subitam incidit vel Epilepsiam, vel Apoplexiam atque strangulationem. Fit quoq; exhalatio & evaporatio venenosa è poris terræ initio veris, ubi primum per calorem solis terra se aperit, quæ & ipsa corpora facilè inficere potest, si ea aut per inspirationem & perspirationem *Vapores & halitus venenati, diversimo dè excitantur.*

in poros cutis trahatur, attracta enim statim excitat aut catharrum, aut paulò post febres, scabiem & totius corporis intumescentiam. Ad id genus veneni referri quoque debet fumus virulentus carbonum diuturnitate in terra putrefactorum, is enim quoq; facilè meatus cerebri obstruit, & epilepsiam, Apoplex. Suffocationesq; excitat. Symptomata itaq; venenatæ evaporationis & putrefacti aeris in montium cavernis sunt, subita strangulatio & respirationis difficultas & nervorum convulsio. Aeris autem corrupti in cellariis & specubus occlusis sunt, Epilepsia & Apoplexia, similiter & fumi putrefactorum carbonum, aeris verò crassi ac densi è poris terræ vere evaporantis symptomata sunt: Catharrus, scabies, febres & corporis intumescentia.

Noxæ harum exhalationum.

Prophylaxis. CURATIO præservativa à venenatis vaporibus, est studiosè cavere, ne quis temere se in cavernas montium aut specus, cellariaq; diu occlusa intromittat, aut nidorem fumumq; putridorum carbonum aut putrefactorum lignorum respirando attrahat, ubi verò quispiam vel necessitate coactus, vel per imprudentiam à venenata exhalatione putrefactoq; aere in numerata symptomata incidat, singulorum symptomatum Curatio ex suis locis in superioribus descriptis peti debet. In genere autem, conveniunt in ejusmodi symptomatibus suffitu & suavibus odoribus spiritus refocillare, & meatus obstructos per vomitionem hausta prius *aq. Juniperi* reserare, & nervos contractos per confricationes linteorum calidorum partium affectarum corroborare, ac deinde partes affectas, item cervicem, & tempora cum *aqua Lavend.* & momento *ol. ex gra. Juniperi* confricare,

care. Antidoti loco conveniunt aut ʒ. ii. *Ther. Andro.* *Antiæ.*
aut gut. 7. ol. Angel. cum vino generoso exhibitæ.

Enses sagittæq; Veneno imbutæ quæ inferant symptomata & quibus curanda remediis.

Oportunè hoc loco & symptomata per arma venenata corporibus illata inferi posse nobis visum est, cum & armorum materia ex montibus eruatur, quæ per se satis cum sint noxia generi humano, per abusum & veneni infectionem longè efficiuntur perniciosiora, talia siquidem venena gladiis & jaculis illita, si cum eis vulnera inferantur, citissimè illud virus ad partes principales repit, & exitium infert, aut ipsam læsam partem adeò corrumpit & putrefacit, ut vel nullam, vel difficillimam admittat curationem, nisi maturè venenum è vulneribus extirpetur, ejusq; violentia infringatur; Non hominum sed cacodæmonum est inventum, arma veneno imbuere, ideò etsi *Dioscorides* venenum, quo *barbari* suas sagittas illiniebant generali vocabulo πόξικον vocet, quid tamen per πόξικον intelligi velit, minimè explicat. non est enim boni viri, rem universo generi humano exitiosam patefacere aut edocere. Ubi itaq; vel certo constet, vel ex quibusdam indubitatis signis deprehenditur vulnus per arma toxicata esse illatum, confestim curatio est auspicanda, & ante omnia oportet prudentem Chirurgum è vulnere venenum prolicere, & veneni vim infringere; Elicitur autem venenum sanguinem infectum exprimendo, & vulnus diligentissimè eluendo *cum vino rubeo tepido* in quo incocta sint *scordium, centaur. Agrimo. & Veronica*, & statim vulnus obliniendum & confricandum.

Arma venenata.

Venenum ut ex vulneribus eliciendum

Linim. ex sulph. & saliva hominis.

dum erit Linimento *ex flore Sulphuris & Saliva jejuni ac sani hominis confecti.* Si verò suspicio sit, venenum ex vulnere jam ad partes principales & viscera serpsisse, statim vomitu expurgandum venit, assumpto prius haustulo *aquæ Junipcri per descensum destill.* aut haustu *aq. tepidæ, cui ol. olivarum* abunde sit admixtum. Post vomitum subinde ea exhibeantur remedia, quæ & veneno adversantur, & partes principales corroborant, qualis est sequens haustus. R. *Vini rubei in quo candens aurum sit extinctum* ʒ. *III. succ. agrimo. desp.* ʒ. *I. Boli Arme. veri, coral. rub. perp. ana* ʒ. ß. *fiat haustus diaphoreticus,* cum quo sudet æger ad unam aut sesquihoram, Inter sudandum verò corroborentur spiritus vitales sequenti Epithemate cordi imposito linteolis duplicatis excepto, *ex* ʒ. *VI. Aq. Rosar. Aq. Melis.* ʒ. *III. Vini generosi* ʒ *ij. Aceti rosa.* ʒ. *i.* simul confusis admiscеantur *Sp. cordialium* ʒ *iij fiat Epithema.* Antidoti loco quotidiè exhibeatur ʒ. i. sequentis pul. cum haust. vini R. *sem. citri excorticati* ʒ. *i. Aristol. rot. Asæ fœtidæ, Myrrhæ ana* ʒ. *ß. cort. Arant. Rhab. el. ana* ℈. *ii. Coral. rub. præp. gr. III.* commiscеantur, fiat pul. tenuiss. Vulneri autem statim post primam ablutionem & mundificationem imponatur fructum pro vulneris magnitudine, aut *pulli gallinarum aut catelli aut ovis viventis & recens discerpti.* Aut si vulnus tantillum fuerit, ut cucurbitula medica contegi queat, eidem imponatur *cucurbita* & venenum eliciatur, quo facto vulnus quotidie bis *cum vino præscripto* eluatur & abstergatur. Sequens ☞ *Empl.* ad consolidationem usq; imponatur. Cavendum autem ne vulnus ad cicatricem deducatur, donec omne venenum sit extractum ac devictum. R. *Galbani,*

quomodo ex toto.

Sudorifcrum.

Venenum extrahentia.

Consolidans.

Cautio.

bani, Asæ fœtidæ ana. ʒ. i, quæ simul in aceti rosac. q. s. liquefiant ad lentum ignem & liquefacta perrarum linteolum colentur, ac ad mellis crassitiem lento igno deducantur, quibus tandem admisceantur ʒ. ij *Empl. Basiliconis* quæ simul in massam coacta extendantur per linteolum & vulneri instar aliorum Emplastrorum imponantur.

SECTIO IV.

DE VENENIS EX ANIMALIUM familiâ proficiscentibus.

QUÆ SINT VENENATORUM animalium præcipua genera hominibus perniciem inferentia, & quo modis perniciem inferant?

GRæcè ἰοβολα *Dioscorides* vocat omnia animantia, quæ venenum ciaculantur, & sua virulentia perniciem inferunt, quorum quæ in nostris hisce borealibus regionibus communiora sunt, hoc loco breviter recitabimus, & hac in tabella complectemur.

Ex genere insectorum { *Cantharides, Bupreſtes, Papiliones, Erucæ. Araneus, Vespæ, Apes.*

Ex genere Reptilium { *Serpens, Vipera, Hydrus, Scropio, Bufo Rana, Basyliscus.*

Ex ge-

Ex genere Aquatilium { *Torpedo Pastinaca.*

Ex genere Quadupedum { *Canis, Felis, Lupus, Glires, Vespertilio* / *Corvus*

Hominis virus praesertim linguae, reliquor nocentissimum.

His addi debet *Homo* ut animalium nobilissimum & divinum, ita per morsum ac depravationem Sathanæ virulentissimum, Ex his autem alia inficiunt homines, aut sui assumptione intra corpus, aut ictu, aut morsu, aut contactu sui virulenti madoris, aut spiritus venenati ejaculatione. Assumptione nocent *Cantharides* Jctu *Scorpiones*, &*serpentes*, Morsu *canes rabiosi*, contactu *Bufones*, spiritu *Basiliscus.*

Cantharides quid, quis eorum Medicus usus, & quæ inferant symptomata, quibus item remediis curanda.

Cantharides.

Κάνθαρις græcis, *scarabæum* significat, ein Kefer/ Quorum plura sunt genera, ex stercore boum & Equorum generata. Ex scarabæorum familiâ sunt & cantharides, per diminutionem sic dictæ, q. parvi scarabæi. Cantharides itaq; Germanicè Goltwürme oder Hispanische Fliegen sunt insecta, seu vermes volitantes magnitudine vesparum pulcherrimo colore ex viridi in aureum splendentes. Cantharidum pulvis cum fermento acido commixtus, instar Emplastri cuti imponatur, per unam &alteram horã vesicam excitat serosi humoris plenam, ac si diutius imponatur, carnem & cutim erodit, ideo in dentium doloribus ponè aures imponere solemus, & excitatam vesicam perforare, serosumq; humorem exprimere,

quid?

Usus.

mere, quo expresso dolor cessat dentium, sublata ejus causa. Tumorum quoq; aperiendorum gratia eadem ratione imponimus. Symptoma cantharidum assumptarum præcipuum est, Exulceratio vesicæ & meatus urinæ, sua enim forma substantiali & occulta proprietate cantharides assumptæ reliquis visceribus præteritis ad vesicam statim deferuntur, ideo earum assumptionem sequitur stranguria sive urinæ stillicidium & cruentæ urinæ prostillatio, & virgæ exulceratio, Deinde paulatim inflammatur & epar, & eroduntur intestina & immensi dolores in Hypogastrio excitantur, quos dolores, mentis alienatio & mors subsequitur, nisi properè venenum expellatur, ejusq; vis infringatur. *Noxæ ex assumptis.*

CVRATIO cantharidum consistit in cita evacuatione. 1. per vomitionem, assumpta prius *aqua tepida cum ol. violar.* mixta, quæ aliquoties reiterari debent. Deinde per alvi subductionem *cum acri clysfere ex decocto Malvæ Alth. Viola. centav. mi. cum quibus* ʒ. *5. pulpæ colocynth. in petia ligatæ sit concocta, cujus colaturæ admisceatur. ol. Rosar. & Elect. Diaphœ.* Deinde crebro esitet æger *Orizam cum lacte caprillo, cremorem Ptisanæ, Butyrum recens cum mucag. ex se. cito, mixtum.* Præterea *lac caprillum, jusculapinguia & carnes pingues*, quales sunt Porcinæ: In potu vero usurpet *lac Amygdal.* aut *lac ex nucleis pineæ & sem. papa. albi & Alkek. cum aq. hord. paratum* vel *lac ex 4. se frig. cum aq. lactu.* factum. Conferunt quoq; *Syr. Nymph. & violarum:* Æstum enim & inflammationem viscerum sitimq; restinguunt. Deinde si dolor in intestinis perseveret, optimum erit *alium clysterem lentum ex decocto rad. Alth. se. Lini & Malvæ factum ac cum ol. viol. mixtum* intestinis *Curatio.*

ſtinis infundere, Foris verò proſunt *Epith. ex ſuc. ſemper vivi, portula & Lactu. ſimul mixtis linteoliſq; duplicatis exceptis Hypogaſtrio imponere & ol. viol. inungere.* Virgæ meatui exulcerato *mucago ex ſe. Citonior. cum aq. Roſac. facta immittatur ad doloris lenitionem;* Antidotum eſt ſequens pul. ad omnia ſymptomata utiliſſ.

Antidotus.

R. Troch. de Alkek. Terræ Lemniæ ana 3i. exhibeatur cum vino dulci aut lacte Muliebri, Sunt, qui ex *Galeni* decreto utantur *pul. cantharidum* contra cantharides tanquam antidoto, præſertim ad urinæ ſuppreſſionem. Sed cum ea Galeni ſententia mihi ſit ſuſpecta non ſuaderem quemquam in alieno corpore illud experiri.

diſſentit à Galeno.

Bupreſtes quid, quæ inferant ſymptomata & quibus ea curanda remediis.

Bupreſtes. Βουπρήστης nomen à Bobus obtinuit. Nam boves & jumenta Bupreſte Verme devorato, paulo poſt intumeſcentes diſrumpuntur, noſtrates ein Knolſter oder Quaalſter vocant. Eſt autem Bupreſtis vermis duriuſculum corticem præ aliis habens, quemadmodum Scarabæus quem noſtri ein Kefer vocitant. Duæ ſunt Bupreſtis ſpecies, una nigra altis pedibus per paſcua incedens; alia eſt quæ in ſylvis pineis, per arborum cacumina reptitat ac volitat, & inde pinorum Eruca nominatur, quæ appropinquante hyeme in arboribus ſe carioſo velleri implicat, in eoq; immoritur, & in ſemen reſolvitur, ex quo rurſum adventante vere reviviſcit, ac regeneratur. Hoc lanugoſum involucrum pineæ erucæ ſanguinem erumpentem citiſſimè ſiſtit, ſi loco affecto imponatur; ſed pineæ Eruca ſive bupreſtis pini non reperitur facilè.

Species hujus animalis.

Eruca pinorum.

Uſus involucri erucarum.

Sym-

Symptomata ex assumptis intra corpus bupresti bus hæc subsequuntur. Ventriculi & Intestinorum erosio, dolor & totius ventris instar Hydropis intumescentia, & urinæ suppressio, reliquavè cantharidum assumptarum accidentia. *Noxa assumptarū.*

CVRATIO assumptarum Bupresti um per omnia ferè similis est curationi cantharidum, videlicet evacuatio per vomitionem & alvi subductionem cum clystere. Sed peculiari antipathia plurimum confert *crebra potatio decocti ficuum aridarum, cum musto aut vino, & crebra esitatio dactylorum.* Antidotum ejus est *lac muliebre* indies ex uberibus factum. *Curatio.* *Antid.*

Erucæ & Papiliones quid, quæ excitent symptomata & quibus eadem curanda remediis.

Κάμπαι Erucæ, nostratibus Rupen. Erucæ vocabulum & oleri tribuitur à Medicis, nostrates weissen Senp nominant, de quo hic nobis non est sermo. Sunt porrò Erucæ vermes oblongiusculi arboribus & oleribus pernicioſi, una enim nocte & fol. oleruch & flo. & novellos fructus arborum pomiferarum & quercuum absumere & depopulare possunt, fructuumq; caritatem totius anni inducere. Erucarum tres sunt species cognitæ. Una, quæ arborum pomiferarum & quercuum frondes depascitur, quæ in lanuginosis instar telis arancarum involucris per frondes arborum verno tempore generatur ex semine Milij granis similibus, primum oblongiusculi efficiuntur vermes, & deinde alas crustaceas acquirunt, & per arbores volitant. Altera species generatur *Eruca papiliones.* *Species Erucarum.*

in olerum ac præcipuè Brassicorum foliis ex stercore Papilionum, quod simile est granis Milij. Tertia Erucarum species, sunt vermiculi illi admiratione digni, quos vermes sericos die Seidenwürmer nominant, qui per æstatem serica fila texunt, adveniente autem Autumno & perfecto opere inv olucrum lanosum tenui pelliculæ simile tanquam sepulchrum sibi parant, in eaq; capsula emoriuntur, & in semina Milij granis similia resolvuntur, quæ adveniente vere, si in solis radiis ponantur, revi-
Bombyx imago resurrectionis. viscunt, ac paulo post in vermes transformantur, priorem formam recipiunt in quibus etiam venusta resurrectionis imago nobis proposita est.

PAPILIONES sunt vermes alati & circumvolitantia animalcula omnium leviſſima & imbecillima, quæ generantur ab exiguis vermiculis, sic etiam ex limo & excrementis maris in putredine terræ à calore solis productis, ex quorum stercore generantur Erucæ in oleribus. Plures sunt Papilionum species, colore, figura &
Species papilionum variæ. magnitudine differentes, quæ omnes ut Erucæ venenatæ sunt. Cum Erucæ, ut dictum est, infestisimi sint vermes hortis, eos extirpare docet *Plinius* hac ratione, ut si caput equæ demortuæ palo suffigatur in hortoque collocetur, aut si in horto suspendantur cancri fluviatiles, Erucas ab eo loco abigi & extirpari. Aut si in horto inter olera, vervecis recenter mactati ventriculus, unà cum excrementis, terra leniter cooperiatur, post biduum, ad eum confluere omnes Erucas pedibus conterendas; sed certius remedium judico, quod *Columella* tradit, nimirum ut post pluvias ex arboribus manu colligantur Erucæ, aut ut manè concussis frondibus arborum

borum, quibus insident, conculcentur, torpentes enim frigore noctis semel delapsi nunquam amplius sursum repere queunt, sed his omnibus magis certum esse puto, ut arbores suffitu styracis aut etiam picis per aliquot dies fumigentur. Symptomata Erucarum ac papilionum intra corpus assumptorum sunt ventriculi, oris, linguæ, & gulæ inflammatio, & dolor pruriginosus ac tandem totius corporis exæstuatio.

Suffitus præ arboribus.

Noxæ assumtarū.

CURATIO similis est instituenda, qualem in Cantharidum curatione proposuimus. *Antidotum est terræ Lemniæ & coralli rubei præp. pul. cum Mucag. Se citon.* Foris optimum est corpus inungere *ol. citon.*

Curatio Antidotū. Topica.

Araneus Phalangia & Tarantula quid, quæ inferant symptomata & quomodo curanda?

Ἀράχνης Araneus eine Spinne est vermiculus, tugu-riis pauperum familiaris, qui tenuiss. retia & tela ad capiendas Muscas in domorum angulis texit, quæ tela Spinnenwebe nominantur. Plures sunt Aranearum species, quantitate & colore differentes. Etsi autem Araneus venenato madore turgeat, habet tamen non contemnendas utilitates. Quicquid enim veneni in domestico aere continetur, id in se allicit & absorbet. In medicatione quoq; si Araneus vivus inter duo nucis juglandis putamina inclusus, collo appendatur & donec moriatur, gestetur, quartanæ febri & Ictericiæ mederi, multorum experientia probatum esse fertur. Quin & telæ araneorum in vulneribus recentibus impositæ, sanguinis eruptionem subitò sistunt, & vulnus ab intume-

Araneus. Aranearū species. Usus & utilitas.

Periapton

ſcentia præſervant. Domeſtici itaq; Aranei per ſe nemini ſunt noxij, niſi per imprudentiam compreſſi cuti inhæreant, & madore ſuo cutim imbuant. Aut niſi caſu in eſculenta & potulenta delabantur, & cum eis intra corpus ingerantur; tum enim ſequentia inferunt Symptomata, Appetentiæ proſtrationem, Epatis debilitatem, corporis intumeſcentiam, & Ictericiam, quæ tamen mala in principio facilè curari poſſunt, ſi ebibito hauſtulo *aq. Juni. per deſcenſ. deſtill. aut aſſumpta ʒ. i. pul. catulorum ſeu flo. juglandis arbo. aranei vomitu rejiciantur, ac poſtea loco Antidoti ʒ. ii. Theriac. Andro. cum hauſt. aq. Card. Bened, aut vini exhibeantur, ſudorq; proliciatur, atq; corpus cum ol. Hypericonis cui Theriacæ nonnihil eſt adjectum, illiniatur.* Sunt & ex aranearum genere animalcula, quæ & Græcis & Latinis *Phalangiæ* nominantur, nobis eine Welſche Spenne/ in hiſce tamen regionibus Borealibus ignotæ; quæ araneorum grandiorum formam obtinent, ſed domeſticis longè majores, & veneno perniciosiores, morſu ictuq; hæc ſequentia inferentes ſymptomata; Vulnus infligunt adeò exile, ut viſu deprehendi nequeat, ſed ex dolore & livida intumeſcentia loci demorſi dignoſci poteſt, quod tamen paulò poſt ſubſequitur facici pallor, artuum tremor, & totius corporis intumeſcentia, ac deinceps ſudoris frigidi eruptio, continuum emingendi ſterile deſiderium, lachrymæ involuntariæ, ac poſtremò neglecta curatione, mors.

Noxæ.

Curatio.

Antid.

Phalangiæ ſeu Phalangia

Noxæ ex illis.

Matura itaq; CVRATIO à Phalangiis ictis adhibenda eſt, & initio exhibeantur ʒ. ii. *Theriac. Andro. cum vino optimo aut aq. Scord.* & ſudor provocetur, deinde manè ac veſperi *tepidus hauſtus vini in quo rad. Aſparagi. ſcord. & ber-*

Curatio.

herba aut semen Aparines sint incocta, qui quotidie propi- *Topica.*
pinetur, donec corpus detumescat. Foris verò ut dolor
mitigetur, collocetur æger in balneum aq. cal. & vul- *Balneum.*
neri imponatur *catapl. ex cinere Fraxini arboris, sale nitro,* *Emplast.*
sulph. simul cum vino mixtum. Tumor quoq; tum vulneris, tum totius corporis post sudoris profusionem probè abstergatur *lixivio tepido ex cinere Fraxini & aceto facto, spongiaq; excepto.* Prodest denicq; corpus tumidum obvolvere *catapl. ex far. hordei, stercore capril. p. æ. & q. s. vini & mellis, simulq; in Cataplasmatis formam redactis.*

TARANTULA *Italorum* quoq; est vermis, magno araneo similis, utrinq; ternis pedibus & cauda aculeata & venenata præditus, qui in arvorum segetumq; cavernulis ac rimis latitat, & in æstate progrediens messores incautos pernioso vulnere pungit. In plerisq; *Italiæ* locis maximè in *Apulia* familiaris est hic vermis, in nostris autem borealibus regionibus nomine notus est, ideo illum silentio præteriissem, nisi admiranda sympto. quæ ex ejus morsu contingunt, & eorum æquè mirabilis curatio commemoratione digna mihi visa fuissent. Quemadmodum vinum meracius largius potum varios animorum affectus concitat, pro diversitate temperamenti bibentium, Ita icti ab *araneo tarantula* pro diversitate temperamenti corporis variis afficiuntur animi passionibus. Sanguinei enim exhilarantur, rident, saltant & indesinenter tripudiant. Pituitosi à *Tarantula* icti torpent & continuè dormiunt & sudore frigido madent, Biliosi crebrò vomunt, irascuntur, rixantur & Phrenetici redduntur. Melancholici verò mœrore afficiuntur, contristantur, & variis Phantasmatis territantur, & *Tarãtula.* *Symptom. & tamirãda*

in

Curatio. in maniam incidunt. Ex iis sanguinei facilius curantur solis musicis instrumentis ad quorum sonum avidissimè tripudiare & saltare gestiunt, ac si sine intermissione Musices, eò usq; saltent, donec venenum per sudorem & insensibiles evaporationes discutiatur statim liberantur ac sanantur. Initio itaq; in omnibus temperamentis *Theriac. Androm. z. u. cum vino* exhiberi debent, & ad sudoris propulsionem cogi. Deinde pro temperamenti cujuslibet ratione, prædominans humor jam veneno infectus subducendus est, ac tandem ea ipsa remedia, quæ paulò ante de phalangiarum ictu commemorata sunt, & intra & extra corpus exhiberi & applicari possunt.

Apes, vespæ & Crabrones quid, & quæ ictu suo inferant symptomata & qualis eisdem debeat adhiberi curatio.

Apes Vespæ. Crabrones. Μελίδαι *Apes* die Immen / σφήκες *Vespa* die Bromsen / Ἄνθρηνοι *Crabones* die Hummelen / sunt congenera insecta, mellificantia, aculeata, volitantiaq;, Ictu morsuq; suo noxam inferentia. Ex iis Apes sunt nobilisſ. animalcula, & humanæ vitæ utilisſ. ut quæ hominibus mel, & ceram, præstantisſ. medicamentis gratis magno cum quæstu subministrant. Proposuit nobis Deus in apiculis pulcherrimam imaginem justæ & optimæ constitutæ Reipublicæ & illustria exempla multarum virtutum, pietatis, beneficentiæ, castitatis, justitiæ, providentiæ, sedulitatis, Parsimoniæ & Reverentiæ ac obedientiæ erga Magistratum, quæ omnia à nobis *in peculiari oratione de Regia Apum Republica in hac Academia publicè declarata sunt*, quæ hoc loco παρεργα esse judicamus. Admiratione dignum

Commoda ex apibus.

dignum est Apes in alios homines tam esse benignas ac propensas, ut etiam lacessitæ & catervatim ei insidentes tamen minimè pungant, aut noxam inferant, in alios verò adeò infestos, ut eos extremo prosequantur odio, si propius astiterint, & suos aculeos omnes cum suo intercidio jaculentur, moriuntur enim ubi aculeum amiserunt, disruptis interioribus. Non aliud symptoma inferunt apes suo ictu præter acerbissimum & pungentem dolorem, & aliquam loci puncti rubedinem. *Apum ictus CURATIO facilis est*, si statim aculeus in vulnere hærens artificiosè vel unguibus, vel acu extrahatur, & si fieri non queat, locus punctus fomentetur & irrigetur *aq. calida marina*, Deinde vulnusculo imponatur *folium Malvæ aceto imbutum*, aut *catapl. ex farina hordei & pul. fol. Malvæ cum aceto simul mixtum*, Aut imponatur herba *Melissa viridis* contusa. Verum hæc omnia superat in dolore sedando, si apes captæ & contusæ cataplasmatis modo icto loco imponantur.

Noxæ ex ictu apum

Curatio.

Cataplasma ex musca.

Vespæ ex genere sunt Apum, sed nonnihil majores & longiores, quæ nullam hominibus præstant utilitatem, sed longè actius & violentius pungunt, quàm Apes, nec inter pungendum aculeos amittunt ut Apes. Symptomata excitant vespæ præter acerbum dolorem etiam loci puncti tumorem cum rubore, sed & hæc symptomata ejusdem Pharmacis mederi possunt, quibus Apum ictus. In genere autem præstat loco affecto hæc sequentia imponere. *Catapl. ex stercore bubulo, cum aceto temperatum, Aut Cataplas. ex campho. & ol. Rosac. contritis paratum.* Leniunt dolorem & *lenticulæ palustres cum aceto contritæ* & loco puncto imposítæ. Similiter & *aq. ro-*

Noxæ vesparum.

Curatio.

Crabronũ. noxæ.

far. linteolis excepta & applicata. Similiter & *fol. Sisimbrij aut Melliſſophyli* contuſa & impoſita. Crabrones quoq; ſunt ex Apum genere, ſed Apibus Veſpisq; majores, rotundæ, nigræ, hirſutæ, & circulo luteo interſectæ, quæ cum bombo ſeu murmure volitant. Crabrones ictu ſuo ſimilia Veſpis ſymptomata inferunt, quibus eisdem remedijs ſuccurrendum eſt.

Serpens quid, & quæ ſerpentum ſpecies.

Serpens.

Ὄφις *Anguis ſive Serpens*, eine Schlange / Nomen habet à ſerpendo, quod videlicet citra pedum adminiculum quibus caret, per terram ſerpat, & convolvatur. Omnes ſerpentes venenati ſunt, & ſuo morſu animantibus exitium adferunt. Hominibus verò non tantùm morſu ſunt pernicioſi, ſed ſæpe intra corpus per os & gulam oſcitantibus & dormitantibus ingrediuntur, & moleſtiſsimis torminibus excruciant. Quin & ſuo aſpectu ex quadam Antipathia homines perterrefaciunt, procul dubio vi & efficacia maledictionis divinæ in antiquum ſerpentem ubi ſcriptum eſt: Inimicitias ponam inter te & ſemen mulieris. Serpentes verno tempore pellem exuunt, inter duos lapides; & novam acquirunt pelliculam, quas *ſerpentum exuvias* Græci γήρας ὄφεως, id eſt, *ſenectam ſerpentis*, *Plinius vernationem ſerpentum*, noſtri eine Schlangen Haut oder Schlangen Bauch nominant. Earum exuviarum utilitas eſt teſte *Dioſcoride*, quo d ſi in vino aut aceto decoquantur & dolentibus auribus aliquid inſtilletur, aut eo decocto, dolentes dentes colluantur ſtatim ceſſat dolor. Plures ſerpentum ſpecies enumerant:

Serpens homini multis modis noxius

Exuviarũ ſerpentum Uſus.

merant veteres, quæ maxima ex parte in hisce borealibus regionibus incognitæ sunt, ut sunt Vipera, Ammodita, Acontiæ, Ἀμφισβαινα sive Cæcilia, Druynus, Hæmorrhous, Dipsas, ὕδρος natrix, Ceraſtes, Aspis. Ex his serpentum speciebus *Italiæ* familiares sunt Vipera, Dipsas & Hæmorrhous, *Germaniæ* autem familiares sunt Coluber & Hydrus. De eorum itaq; duntaxat morsibus, & inde excitatis symptomatibus eorundemq; curationis ratione breviter ordine tractabimus. *Multæ serpentum species.*

Vipera quid, quæ inferat symptomata & quibus curanda remediis.

Ἔχιδνα *Vipera*, eine Adder/serpens est ferus & virulentissimus, *Italiæ* familiaris, *Germaniæ* ignotus. Sola vipera inter serpentes intra se semen concipit, & fœtum in utero gerit. Non tamen vera est opinio *Plinij*, qui scribit, fœtus Viperarum maternos uteros erodere, matricq; necem inferre. Sed id verum est viperas diu parturire & numerosos fœtus parere, singulis diebus unum usq; ad 20. carnem viperinam miris modis celebrat. *Galenus* in propulsione impuritatum sanguinis ad cutem externam. Ideò Theriaca nobilissima antidotorum genuina parari non potest, nisi caro viperina in pastillos redacta, eidem admisceatur. Narrat præterea *Galenus II. simplicium* duas venustas historias, de efficacia & virtute viperarum; Unam quam *in Asia* contigisse & se vidisse testatur, ubi cum quidam Elephantia laborans, à reliqua consuetudine hominum separatus, extra pagum in tuguriolo miserrime viveret: Messores ejusdem loci Vesperi domum redeuntes, vinumq; secum referen- *Vipera earum partus.* *NB Usus Carnium ejus.* *In Elephantiasi.*

tes, in quo fortè fortuna vipera erat illapsa & extincta, quod ipsi bibere tanquam pernicioſum venenum abhorrerent, ex quadam commiſeratione Elephantiaco bibendum obtulerunt, ſperantes ea ratione hominem miſerum moriturum, ſuæq; miſeriæ finem conſequuturum. Elephantiacus vino exhauſto præter meſſorum expectationem adeò non eſt mortuus, ut altero die omnis lepræ cruſta è corpore decideret & integræ ſanitati reſtitueretur. Altera hiſtoria huic non eſt diſſimilis; Erat *in Miſia Aſiæ* prædives quidam Elephantiacus, qui ad thermas profectus habebat ſecum adminiſtram ſcortum, quæ pertæſa conſuetudinis tam fœdi heri, ut ab eo liberaretur non inveniebat occaſionem, niſi quod viderat in dolio vini, ex quo herus ipſius bibebat, viperas eſſe illapſas, & in eo extinctas (mirificè enim delectantur viperæ vino) ipſa hac occaſione læta ſimulans ſe ignaram eſſe vino merſas eſſe viperas, & ipſe quidem ab eo abſtinebat, ſed Domino etiam ſolito crebriùs & largiùs propinabat; ſperans herum brevi à venenato vino interiturum, ſed quantò herus vinum aſſumebat largiùs, tantò quotidiè à lepra purgabatur magis, & brevi ſanitati eſt reſtitutus. Unde tandem facta diligenti inquiſitione â mulierecula, quid novi ſibi remedij in eſculentis aut potulentis exhibuiſſet, ipſa tandem confeſſa eſt viperas in vino quod bibiſſet extinctas fuiſſe, & ea ratione tandem caro viperina in uſum medicum translata eſt, & uſq; in hodiernum diem, Theriacæ contra omne venenum, præparata & in paſtillos conformata admiſcetur.

Paſtilli ex carne viperina ut.

Paſtilli verò ex carne viperina ea ratione conficiuntur, circa initium æſtatis capiuntur viperæ, eis caput & cauda ab-

da abscinduntur, ut partes venenosiores; reliqua verò corporis pars à pelle extrahitur, & cum intestinis abjicitur, & aqua salita probè abluitur, carocq; in partes concisa cum aqua coquitur, adjecto viridi *Anetho*. Tandem caro à spina separatur, & in mortario diligentissimè contunditur & singulis Unciis carnis viperinæ admiscentur *medullæ panis ex puriss. farina coctæ, exiccatæ & in pul. redactæ* ʒ ij. Quæ simul subiguntur in mortario & in tenues pastillos conformantur, incq; radiis solaribus exactissimè siccantur, quotidie verò ne marcescant pastilli invertuntur, & ad usum reservantur. *praparatur.*

Ex morsu viperarum dira & lethalia oboriuntur symptomata, statim enim post ictum universum intumescit corpus, & faucium vehemens siccitas & capitis dolor subsequitur: Ex vulnere autem cruenta sanies manat, & circum tumens vulnus pustulæ adustæ & nigricantes excitantur, intra corpus epar sensibiliter inflammatur, quam paulò post biliosæ euomitiones comitantur, in quibusdam accedit, sopor & sudor frigidus cum cruenta urina, nisi etiam citiss. veneno occurratur, alios intra 7. horas, alios tertio, alios septimo die interimit. *Mala ex viperæ ictu.*

CURATIO itaq; celeriter est adhibenda, & violentia veneni infringēda. Ubi itaq; quis à vipera demorsus fuerit, vulnus & tumor circa vulnus scarificentur, & cucurbitula imponatur, virusq; eliciatur, aut vulneri statim imponatur gallina vivens discerpta, interioribus suis adhuc tepens, idq; assiduè repetatur: Interim & vomitio excitetur, assumpto haustulo *aq. Juniperi per desc. de stillat.* aut multa *rad Raphani* comesta & iterū evomita. Post evomitionē exhibeantur ʒ. ii. *Ther. Andro. cum vino*, quo assum- *Curatio accelerandа.* *Vomitus.* *Antidotq.*

assumpto sudor eliciatur, ac denuo vomitus procuretur. Postea multum *allij* devorandum aut *cum vino* contusum bibendum propinetur. His peractis *succus fol. Fraxini arboris fol. Meliſſæ cum baccis Junip. contuſis parumq; vini addito*, exhibeantur. Præstat quoq; alternatim potandum offerre *vinum, in quo cort. rad. fraxini sint incoctæ, commodiſſ. & pul. Nigellæ sive Melanthij ʒ. ij cum eodem vino exhiberi possunt.* Itidem præstat & *vinum* subinde bibitum in quo *scord. rad. verbasci rad. Ebuli & baccæ juniperi sunt incoctæ.* Similiter utiliſſ. exhiberi possunt *cancri fluviatiles cum lacte caprillo contusi & expressi subindeq; bibiti.*

Fraxinus arbor serpentifuga.

Foris verò prodest vulnus diu multumq; [illegible] re *decocto Scordij & Cort. fraxini cum vino. Fraxinus* enim *arbor* eam habet cum omnibus serpentibus Antipathiam, ut ejus arboris umbram ferre nequeant. Deinde vulneri *Theriacam cum succo fol. fraxini* temporatam instar Epithematis imponere, aut *ex stercore caprino cum pauxillo vini Empl.* parare, aut imponatur *catapl. ex fol. Fraxi. & baccis Junip.* simul contusis aut *catapl. ex furf. tritici cum succo rutæ confectum.* Oportet autem Studioſe cavere, ne vulnus ex Viperæ morsu illatum citò consolidetur, sed diu apertum retineatur, inserta *rad. Gentianæ* vulneri.

Cautela in consolidatione vulneris.

Ex genere Viperarum quoq; sunt hæc tria serpentum, *Italiæ* cognitorum: *Aspis, Amotida, & Dipsas*, viperis non dissimilia, ex quibus Aspis reliquis pestilentior est. Aspidum applicatione *Cleopatra Regina* subitam sibi necem conscivit, & ex Aspidum quidem morsu vulnus acceptum, aut nunquam aut rarissimè curatur. Referunt tamen si morsis ab Aspidibus *centaurium minus cum vino contritum* bibendum propinetur, & illud pharmacum

Aspidis lethales morsus.

vulne-

vulneratus evomat, nullam reſtare amplius reſtituendæ ſanitatis ſpem. Si verò non evomuerit, adhibita diligenti curatione ſervari poſſe hominem, applicatis iiſdem remediis, quæ in morſu viperæ commemorata ſunt. Et propria quidem Aſpidum remedia ſunt ℈. 1. *ol. è Myrrha aut ʒ. 11. Ther. Andro. cum vino propinata aut ʒ. 1. oppopanacis cum vino diluta & ebibita* rurſumq; evomita. Foris autem Aſpidum ictibus commodè applicari poteſt *centau. min. cum Myrrha & pauxillo opio in catapl. formam redactum*, ſimiliter & Amotidæ & Dipſades quæ ab inextinguibili ſiti, quam inferunt, nomen habent, tam ſunt virulentæ, ut trium horarum ſpatio homines enecent, in his eadem remedia tentanda erunt, quæ in morſu viperæ ſunt prolata. Peculiare autem Antidotum eſt *pulv. Caſtor. & Menthæ ana ʒ. cum Ther. Andro. ʒ. in vino exhibita*.

Remedia contra aſpidis virus.

Antidotum.

Coluber quid, quæ inferat ſymptomata, & quibus eorum mordicatio curanda remediis.

Ὄφις *Serpens, Anguis, Coluber*, Eine Schlange oder Schnake/ ſynonima ſunt, quæ omnibus ſerpentibus toti Germaniæ familiaribus tribuuntur, qui verno tempore inter gramina in vepretis, in ſylvis cænoſis, & circa urbium muros, aggeres, circaq; loca paluſtria paſsim conſpiciuntur. Quanquam ſint qui Angues in aquis colubres verò in ſylvis degere exiſtiment. & angues natrices & ὕδρους appellent, ſed & apud probatos autores hæc omnia confunduntur. Omnes homines inopinato ſerpentum conſpectu perterrefiunt & ipſi ſerpentes ſimiliter

Coluber.

ter conspecto homine contremiscunt & ad cuniculos suos fugiunt, sed tamen si per imprudentiam vel pedibus concutientur, vel alia corporis parte attingantur, morsum inferunt & venenum in vulnus inflictum ejaculantur sævaq; excitant symptomata. Nos itaq; omissis reliquis serpentum generibus à *Græcis* autoribus recitatis nobisq; incognitis de communibus hisce & omnibus cognitis serpentibus breviter disseremus. Ut autem supra dictum est, omnium serpentum Genera venenata esse, & suo morsu venenata inferre symptomata, ita & nostri serpentes, sive hi in sylvis aut vepretis, sive in aggeribus, sive in locis stagnantibus degant morsu suo hæc potissimum inferunt symptomata, dolorem tumoremq; loci demorsi, deinde virulentæ saniei è vulnere profluvium, Nauseam, capitis dolorem, & tandem neglecta curatione subsequitur totius corporis intumescentia & ipsa mors.

Noxa.

Curatio.

CVRATIONIS Methodus iisdem pharmacis est instituenda, quæ paulò ante in morsu viperæ à nobis est proposita, peculiariter autem ab omni genere serpentum de morsis symptomatibus plurimũ prodest *Fragaria herba cum rad. in vino cocta & bibita,* Itidem præstat *& herba veronica* quam *Teucrion* esse certum est, aut exhibeatur sequens pul. *℞. rad. Gentia. ʒi. Rutæ, Scordij piperis ana ℈. i. commisceantur & cum vino exhibeantur.* Aut ℞. *Herbam frag. cum rad. & Sarmentorum mori batti* oder Bramberen. *M. i. concisa commisceantur & in vini albi ℔ ii. in duplici vase concoquantur, colato vino admisceatur ℥. i. Ther. Andro. de eo singulis diebus ℥. III. calidè mane ac vesperi*

Antidotum contra omniũ serpentum plagas.

sperì ebibantur. Aut R. *Ther. Andro. ʒi. pul. cornu cervi in autumno capti, Terræ Lemniæ ana ℈. i. quæ simul cum ℥ 4. aceti Rosa. mixta ebibantur.* Porrò foris vulnus ex ictu serpentum scarificetur, & venenata sanies, vel cum cucurbitula applicata eliciatur, aut pullus galliano deplumato vulneri applicetur, & ubi emoritur pullus novus vivus applicetur, ejusq; applicatio eo usq; reiteretur, donec pullus vivus remaneat, Reliqua ex curatione morsus viperini petere licebit. *Topica.* Contingit autem quamvis rarissimè, ut vel pueris, jumenta sua in vepretis & sylvis pascentibus, vel hominibus lassitudine defessis & hiante ore dormientibus, serpens intra corpus irrepat, qui ventriculi continuam frigiditatem & acerbissimos colicos cruciatus excitat; præsertim ubi diutius à cibo abstineat æger, aut si cibi potionesq; & pharmaca, palato serpentis minus grata ingerantur, in ejusmodi casu medicamentis vel extingui serpentem, vel propelli extra corpus valde difficile est, & summo cum dolore tentari potest, & tamen experientiâ compertum est, si lac dulce fervens & vaporans corpore toto antrorsum incurvato capiteq; versus terram inclinato aperto ori in aliquo vase subjiciatur ita ut lactis dulcis vapor in gulam elevetur, serpens in ventriculo contentus nidore lactis allicitur, & per os progreditur, & in ipsum lac insilit. *Curatio à serpente vivo deglutido.* Si autem serpens in intestinis delitescat, quod ex frigiditate ventris infra umbilicum agnoscitur, multum proderit, *prius vinum bibere, in quo cort. cum rad. fraxini sunt incocti,* deinde *fumum veterum calceorum aut fumum serpentum adustorum aut fumum fol. frax. per fistulam infundibuli intra os assumere ac deglutire:* Hac enim ratione per alvum *quomodo*

animum de-turbãdus.

egreditur vivus serpens. Cavendum autem ne decipiatur Medicus & sibi persuaderi patiatur quenquam serpentem in corpore gerere, nisi ex certis indiciis ac potissimum *frigiditate continua ventris & torminibus* ex fame deprehenderit: Sæpè enim homines Melancholia detenti sibi imaginantur & persuasum habent serpentem & ranas in ventre deliteſcere, id quod & *Galeno* contigit, qui cum ægroto persuadere nullis rationibus posset, eum non habere in corpore serpentem, tandem consensit ægroto & ipsius opinionem confirmavit, salutaremq; ei curationem promisit, obtulit autem Melancholico potionem validè per vomitum purgantem, jussitq; ut clausis oculis in pelvim evomeret, ipso vero vivum serpentem, cui virus erat detractum inter vomendum pelvi injecit, ac ægrotantem inspicere jubet, gratulabundus quod à tanto hoste esset liberatus. Nec id silentio prætereundum puto, in capite colubri lapillum contineri, qui hac ratione eximi potest, captus vivus coluber circa caudam funiculo constringatur, & demisso capite deorsum versus terram suspendatur, capitiq; pelvis aqua pura plena subjiciatur, ita tamen ne aquam serpentis caput attingat, & ita suspensus anguis altero vel tertio die moriturus in pelvim lapidem evomit, à quo omnis aqua in pelvi contenta brevi temporis spatio exsiccabitur. Hic lapis si ventri tumenti Hydropicorum alligetur, latenti facultate & substantiali forma aquam Hydropicorum exiccabit.

Lapis in capite colubri hydropicorũ aquas sorbet.

NB

Scorpio

Scorpio quid, quæ inferat symptomata, & ut ea curanda.

Σκόρπιος *Scorpius.* Sunt autem Scorpij vermes subnigri exiguis cancris nonnihil cum suis chelis similes, caudam habentes senis aut septenis internodiis distinctam; In cujus caudæ extremitate hamum habent incurvum quo pungunt & inficiunt. In hisce frigidis nostris regionibus ignoti sunt Scorpiones; In *Italia* autem cubicula, cellaria & alia loca Scorpionibus referti sunt. *Scorpio.*

Adferuntur ad nos Scorpiones in ol. extincti, quod *ol. Scorpionum* dicitur, & ritè præparatum, copiosisq; Scorpionibus in illis extinctis, utilissimum est remedium. Nam præterquam quod vulneribus à Scorpionibus illatis illinitur, & dolorem sistit, citissimeq; vulnus persanat, etiam in calculi doloribus illitum renibus & inguinibus statim eos mitigat; Quin & in omni veneno intra corpus assumpto, si non est corrosivum, temporibus & corporum arteriis cordiq; illinitum, violẽtiam veneni frangit, pestilentibus quoq; bubonibus utilissimè affricatur. *Ol. Scorpionum usus.*

Ipsi autem Scorpiones si vivi concrementur & cinis eorum in vino exhibeatur, calculum tum renum, tum vesicæ potenter expellunt. *Usus Scorpionum.*

Ex ictu autem Scorpionum satis sæva excitantur symptomata & nonnunquam etiam lethalia, locus enim punctus primum inflammatur cum rubore & acerbo dolore; Deinde inæqualis subsequitur intemperies corporis, quod nunc æstuat, nunc rursum frigore infestatur. Tandem & sudor frigidus subsequitur & horror cum tremore, ac si quis in pedes à Scor- *Noxæ.*

pione ictus sit, ei bubo circa inguina, si verò in manus, bubo circa axillas excitatur.

Curatio. CVRATIO autem morsus Scorpionum facillima est, si vulnus confricetur oleo, in quo Scorpiones sunt extincti, aut capto Scorpione vivo ac contrito vulneri impositò; intra corpus ictis à Scorpionibus utilissimum erit exhibere *3i. pul. Aristolo. longæ & salviæ cum vino.*

Antid.

Rana terrestris sive buso quid, quæ ranarum species? Quæ utilitas; Item quæ inferant symptomata, & quibus iisdem subveniendum remediis.

Ranæ. Βάτραχος *Rana*, est animal quatuor pedibus proreptans & omnibus notum. Sunt autem plures Ranarum species, ex quibus innoxiæ sunt Ranulæ virides per stirpium & arborum folia reptantes & braxantes *Germanicè* ein Laubfrosch / quarum utilitas est, si inopinatæ inventæ syndone includantur, & in febri tertiana collo appendantur, febrim citissimè auferunt. Secunda species ranarum est Rana palustris quæ in rivis degunt, & aut viridis aut cinericij sunt coloris, & in vere manè ac vesperi coaxant *Germanicè* ein Wasserfrosch / & minus sunt venenatæ, siquidem in *Italia* gulam irritarunt & pro cibo usurpantur, esitatæ autem serpentum venenatis ictibus medentur. Tertium genus Ranarum est earum quæ ex terræ putredine generantur, & in vepribus aut in hortis circa sepes aut cellis humidis degunt, crassæ & venenatissimæ. Turgent enim venenato humore & græcis βάτραχοι γαιώδεις aut χερσαῖοι vel φρῦνοι, latinè Rubetæ & Bufones, nostratibus Krötten nominantur. Ex quarum

Laubfrosche fortasse curatio à frigore subinde corpus alterante.

Harum Epata ad mirandũ auxilium ferunt Epilepticis etiam adultioribus.

Bufones.

quarum genere sunt illæ, quæ durissimâ testâ sunt armatæ, adeò ut nec perfodi, nec gravi onere frangi lædivè possint, nostri eine Schiltpogge. Etsi autem bufones tota substantiâ exitioso imbuti sunt veneno, & non tantum suo contactu, vel intra corpus assumptione perniciem afferunt, verùm etiam suo madore, saliva & urina venenata, quam longè latèq; spargunt, & herbas radices & fructus terrestres veneno imbuunt, & homines inficiunt, tamen suas quoq; habent utilitates; *Johannes Bocatius* venustam historiam de tristi casu duorum amantium adolescentis & puellæ recitat, qui cum ut se mutuis colloquiis oblectarent, ingressi essent amenum viridarium, & consedissent, ad *salviæ herbæ fruticem*, ac inter confabulandum decerpsissent *fol. Salviæ*, eisq; dentes & gingivas confricassent, subitò extincti sunt. Nam primum adolescens gustans *Salviam* statim procumbendo vitam exhalavit; quo miserabili spectaculo consternata puella ex viridario profugit ad parentes adolescentis, eisq; interitum filij denuntiavit; parentes rati ipsam puellam filium suum jugulasse, captum ad prætorem deducunt, & ut torturæ eam subjiciat; orant: Prætor prudens ut veritatem rei certiùs explorare posset, effecit ut puella cum ipso in viridarium descenderet, eiq; locum, ubi Adolescens erat extinctus ostenderet, & quid Adolescens ante interitum egisset, enarraret. Ipsa cum prætore in hortum descendens, eodem loco, ubi sederet antea *ad radicem Salviæ* consedit, decerptaq; *folia salviæ* ut priùs Adolescens fecerat, gingivas confricat, & in conspectu prætoris statim & ipsa concidit & extinguitur. Id videns Prætor *salviæ fruticem* evellere jubet, sub cujus radice

Armatæ illæ potius inter palustres censendæ.

Historia.

dice horribilem ſtabulari conſpicit bufonem, unde facilè conjicere potuit, *ſalviam* à bufone virulento madore fuiſſe contaminatam. Hæc ob eam cauſam recito, ut homines, fruges, herbarumq; folia & radices & fructus terreſtres, quales ſunt *fraga*, non temerè guſtent, antequam probè ſunt abluta. Ad utilitates quod attinet, Bufo palo acuto confoſſus & in libero aere exiccatus, ſitempore peſtis in aceto madefiat, & carbunculis peſtilentibus imponatur, omne venenum peſtiferum è corpore elicit. Geſtant in corpore Bufones *lapillum*, quem noſtri Ein Cröten Stein oder Poggen Stein nominant excellentis efficaciæ adverſus omnia venenorum genera, qui tamen non in omnibus locis reponitur, nec facilè ab eis eximitur; poteſt tamen commodiſsimè hac ratione acquiri. Bufo vivens quam maximus in fictili multis foraminibus pervio ex abrupto captus imponatur, & coperculo contegatur, ac in myrmetion ſive formicarum acervum defodiatur ac contegatur, poſt menſiſq; curſum eximatur, tunc enim in fictili omni carne à formicis exeſa ſola oſsicula & in capite Bufonis lapis reperitur, qui auro incluſus & in digito geſtatur, omnis veneni præſentiam ſtatim oſtendit, ſudore enim madeſcit, & ejus lapidis ℈ 1. contritus, & cum vino aſſumtus venena tum ſerpentum, tum quoq; ipſius Bufonis extinguit. Symptomata perniciosiſsima ſunt, quæ ex cinere cõbuſti Bufonis intra corpus aſſumpti, aut ejus carne deguſtata aut ſanguine hauſto, aut ex herbis, radicibus aut fructibus ſaliva urinave Bufonis infectis, & intra corpus ingeſtis excitantur, quorum præcipua hæc ſunt: Totius corporis ſubita intumeſcentia cum buxeo, id eſt, ex flavo in

Utilitas bufonum

Lapis bufonum.

hæc magis rumori vulgi quã rationi & experientiæ conveniunt.

qui pro veris habentur magis hæmorrhagias ſiſtũt, quam venena tollunt.

Symptomata ex bufonibus aſſumptis.

vo in viridem vergente colore Faucium & Gutturis inflammatio & respirationis interceptio, gravis & fœtidus halitus, fastidium, vomitio, vertigo, delirium, convulsio, animi deliquium, , & postremò misera mors, & si qui per tempestivam medicationem liberantur, tamen ut plurimum edentuli redduntur.

CURATIO veneni Bufonis statim initio maturanda est, & ita procedendum. Initio assumto haustulo *aq. Junip. per descens. destill.* excitetur vomitio, post vomitum statim exhibeantur per triduum singulis diebus ʒij *Ther. Andro. cum vino*, quo assumto in calido clibano aut in vaporario balneo calido sudor proliciatur, post sudorem *gutt. V. ol. vitr. aut ol. Angel. cum trib. cochlea. vini* exhibeatur & subinde vinum meracius in quo *rutæ fol.* sunt macerata bibendum propinetur. Antidotum adversus venena Bufonis est ʒ. ß. *Gemmæ Smaragdi aut* ʒß. *Lap. Bufonis aut gr. V. Unicornu in vino exhibita*. Foris autem manè ac vesperi utilissimum erit universum corpus tumens *ol. Scorp. cui ol. vitr. nonnihil sit admixtum*, inungere. *Curatio.* *Elegans antidotus plantaginis decoctum.*

Hirudo quid, quæ ejus utilitas, quæ excitet symptomata, & quomodo ea curanda.

Βδέλλα *Sanguisuga* ein Egel/ est vermis lumbrico terrestri non dissimilis, niger, in aquis palustribus stagnantibus & limosis ac cœnosis natans, qui nudis pedibus hominum in aquis ambulantium adhæresit, sanguinemq; tam diu sugit, donec repletus sponte decidat. *Hirudo.*

Hirudinum insignis est utilitas in arte medica, qui- *Usus in-* bus *Medicina.*

bus utimur, vice cucurbitularum aut venæ sectionis in evacuatione impuri & putridi sanguinis in quibusdam morbis particularibus, veluti sunt Hæmorrhoidum tumor, varices sive venæ tumentes: Bubones pestilentes, Anthraces, Serpigines, & alia maligna ulcera, ex iis enim applicatæ hirudines cucurbitularum modo putridum & adustum sanguinem eliciunt. Applicandæ autem sunt Hirudines ita ut primum toto corpore includantur calamo arundinaceo, capitibus tantum ex calamo prominentibus; Locus verò affectus primò fovendus erit *aq. cal.* donec rubescat & mox loco affecto capitibus admoveantur, quæ eo usq; sanguinem sugere permittantur, donec sponte decidant, quibus delapsis, si necessitas efflagitat, aliæ atq;, aliæ applicari possunt. Ubi verò post suctum sanguinis ultra modum erumpat, ejus eruptio cohiberi debet impositâ vulneri *tela aranearum*, aut insperso pul. tenuiss. cineris. Si quis autem suctum Hirudinis non amplius ferre velit, revelliq; eam cupiat, capiti ejus modicum salis inspergat aut calcis, & statim sine noxa decidunt, aliàs si violenter revellantur, rostra sua in vulnere relinquunt, & dolorem vulnerisq; difficiliorem curationem pariunt, possunt tamen ea quoq; vulnera facilè sanari, si eis *cera viridis sigillatoria* instar emplastri imponatur. Contingit crebrò ut iter facientes defessi & siticulosi aquam quamlibet obviam ex lacubus & stagnis avidissimè potitent, & accidit crebrò, ut per imprudentiam una cum aqua limosa hirudinem hauriant, quæ statim adhæresci aut faucibus ipsis, quod ex sanguinis expuitione dignoscere licebit, aut adhæresci orificio ventriculi, aut capacitati ejus, id quod ex

quomodo applicandæ.

suctio-

ſuctionis ſenſu percipi poteſt, ac ita moleſtiſſima nec periculo carentia, ſi negligatur curatio, excitat ſymptomata, ut proſtrationem appetentiæ & varias ac melancholicas imagines; Matura itaq; iiſdem curatio eſt adhibenda.

CVRATIO itaq; Hirudinum epotarum eſt earum revulſio & expulſio aut mortificatio. Si itaq; Hirudo in faucibus aut gutture hæreat, tum univerſum corpus aqua calida immergatur capite eminente, aſſumatq; æger os plenum aq. frigida & ſubinde ea mutetur, ea enim ratione toto corpore calefacto ad aq. frigiditatem in os prorepit hirudo & cum aqua exſpui poteſt, aut ſubinde gargariſentur fauces cum aq. in qua nonnihil *aluminis & calchanti ſeu vitrioli* eſt incoctum. Si verò in ipſo ventriculo aut ejus orificio hæreat hirudo, crebro ſed leniter bibatur *muria*, aut bibatur *acetum* in quo *Aſa fœtida* ſit diſſoluta, aut bibatur *ſuc. radic. Raphani cum aceto mixtus.* Sed his præſtantius remedium ℈. *ſ. ol. vitr. cum tribus cochlearibus vini* ebibitus. Quin & *ol. olivarum* ſi crebrò propinetur extinguitur hirudo, quæ cum *Hiera picra ſimplici* expurgari poterit. *Curatio.* *birudinũ faucibus adhærentium.* *In ventriculo.*

Baſiliſcus quid & qualem inferat perniciem, & quibus ſuccurrendum remediis.

Βασιλίσκος *Regulus*, ein Baſiliſch. Baſiliſci nomenclatura duobus venenoſis & ferociſſimis animalibus tribuitur. Serpenti & monſtroſo greſſili animanti. Baſiliſcus ſerpens coronatus non tantum ſuo morſu, ſed ſolo intuitu & ſibilo cuncta animantia interimit, quam *Ælianus & Plinius* in Cyrenaica regione reperiri ſcribunt. *Baſiliſcus.* *Ubi inveniatur.*

Basiliſci verò ſæviſſ. feræ meminit *Galenus in lib. de Ther. ad Piſon.* eumq; βασιλίσκον θηρίον *vocat*, dicens, quod ſit belua ſubflava triplici frontis apice munita, quæ & ipſa quidem ſerpens. Basiliſcus ſolo intuitu & ſibilo videntes & audientes necat, & ſi quod præterea aliud animal illum etiam mortuum attingat, ſtatim extinguitur. De hujus Basiliſci hiſtoria & ejus procreatione vulgus multa fabulatur, & aniles nugas profert, ait enim vulgus Gallum annoſum ac decrepitum circa nonum ſui annum æſtivo tempore ovum parere ex putrefacto ſemine genitum, forma orbiculari & colore vario, ex quo ex incubatu Bufonis generatur Basiliſcus monſtroſum animal, caudam ſerpentis, corpus autem Gallinæ habens, quod obvios quosq; ſolis radiis viſivis interimat, & bufonem hunc ſuum virulentum fœtum ſtatim genitum in ſubterranea antra infontium margines & cellaria deſerta deportare, quæ loca quisvis acceſſerit ſtatim interire, & quanquam experientia teſtetur, ex annoſi Galli ovo vel proprio fœtu vel alius animantis vermem aut aliud animal monſtroſum & venenatum generari; tamen illud eſſe Basiliſcum & intuitu ſuo poſſe occidere animantia, rationi conſentaneum non videtur, nec illius temporis hiſtoriæ conteſtantur. Nam quod quidem in ſubterraneis cuniculis aut ad fontes & in ſolitariis cellariis ſubitò extinguantur, id non arguit ibidem eſſe Basiliſcum, qui ſolo intuitu interficiat, ſed potius venenatum halitum, qui ex ſpecubus exhalet. Symptoma Basiliſci eſt mors ſubita atq; citiſſima. At mortuis fruſtra adhibentur Antidota, de ejus itaq; curatione quicquam dicere ſupervacaneum eſſe judico, veruntamen

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728449757/phys_0350
DFG

men modò non sit fabula, aiunt, inter omnia animantia solam mustelam esu pastuq; *rutæ* armatam cum Basiliſco serpente congredi audere, & illum extra suas latebras protractum fortiter interimere. Laudatur à Medicis ad Basiliſci morsum. ℥ *i. castor. cum vino epota*, quæ Erasistrati Medici est sententia.

Torpedo quid, quæ inferat symptomata & quibus curanda remediis.

Νάρκη est piscis marinus in *Germania* ignotus, vali- *Torpedo.*
dissimo veneno imbutus, ex genere planorum & cartilaginosorum piscium, quales apud nos sunt *soleæ* die Schollen & *Salpæ* die Butten. Dorsum habent rubicundum nigris quibusdam maculis, tanquam oculis insignitum, suprema verò earum pars albicans est, *Oceano Germanico* ignotus sed mari mediterraneo familiaris. No- *Unde nominetur.*
men habet à torpore, quia non tantum suo contactu, sed mediante reti aut hamo hastaq; manus stupefacit & tremulas reddit. Veteres Medici applicabant in capitis doloribus, ubi stupefactione opus erat, & nunc quoq; in *Italia* in ardentibus capitis doloribus, qualis est φρενίτις torpedinem mortuam applicare solent. Torpedo ita- *Usus medicus.*
q; capta & adhuc vivens per interventum retis, etiam antequam manu attingatur, hæc infert symptomata, rarò quidem lethalia, sed tamen formidabilia, manuum videlicet ac pedum ac musculorum stuporem ac totius corporis tremorem, mortuis autem nihil tale ineſt, sed comeduntur in urbibus *Italicis*.

CURATUR stupor ac tremor à Torpedine illatus *Cura.*
crebra confricatione membrorum stupescentium, cum

Jejuni hominis saliva & illinitione *olei Rutæ* aut *Scorpionum* quibus adiectum sit nonnihil *aq. Junip.* Intra corpus autem *Ther. Androm.* ʒ ij *cum vino haustæ* discutiunt torporem partium.

Pastinaca marina quid, quæ suo punctu inferat symptomata & quibus curanda remediis.

Pastinaca marina. Τρυγὼν θαλασσία. Pastinacæ vocabulum tribuitur etiam hortulanæ herbæ, quæ nostratibus Pasternake nominatur; cujus radice in cibis, seminibus verò in medicina creberrimè utimur. Pastinaca verò cum appendice, marina, piscis est ex genere planorum & cartilaginosorum piscium, caudam habens incurvis & aculeis acutiss. sive radiis armatam. Hic piscis sole exiccatus ex Oceano septentrionali ad hæc maritima loca adfertur, usurpaturq; in cibis, qui nostratibus ein Roche nominatur.

Symptomata ex harum punctione. Sæpe autem piscatores dentata sua cauda pungit & vulnerat, quod vulnus valde difficilis est curationis, & si altius figat radices, nervosq; in corpore lædat pernicioſa infert symptomata, acerbum & continuum dolorem vulneris ab ictu denigrationem, quod ubi digitis comprimitur, atra profluit sanies, quæ omnia comitantur crebræ convulsiones totiusq; corporis stupor, ac tandem mors.

Curatio eadem instituenda est, quæ supra de viperarum morsu curanda est demonstrata, peculiariter autem conferunt in principio ictus *Theriacæ Androm.* ʒ ij. *cum vino exhibitæ aut* ʒ. i. *pulv. Scordij aut* ℈. ʒ. *ol. Angel. cum vino meraciori.* Bibat præterea æger quotidie vinum, in

in quo *Scordion. fol. Rorismarini & Salvia sunt incocta.* Foris autem statim in initio cucurbitulas cum scarificatione figere oportet, & sanguinem venenatum elicere. Deinde cataplasma *ex furfure & aceto* confectum, aut aliud Emplastrum attractivum vulneri imponere & crebrò instillare *ol. Sulphur.* & cum eo adiacentes partes inungere. Porò etsi venenati sunt radij illi in cauda pastinacæ, tamen habent in medicatione non contemnendas utilitates: si enim his radiis Gingivæ scarificentur aut vulnerentur, dentium dolores statim tollunt, ac si radii illi cum *Elleboro albo* simul conterantur, & denti illinantur, sine dolore dentes extrahunt. Equos quoq; qui subcutaneis vermibus exeduntur, si eo ulcera scarificentur aut purgantur statim persanat. *Spinæ pastinacæ utilitas.* *dentes sine dolore extrahi possunt.*

Canis rabiosus quid, quæ causæ rabiei, & ex quibus signa eorum rabies dignoscenda.

Κύων λυσσώδης ein toller oder wütend Hundt/ Canis omnium animantium hominibus familiarissimus est, fidelissimus Domino suo, rerumq; domesticarum custos, comes & excubitor, beneficiorum etiam post longum tempus memor & injuriæ ab hero acceptæ citissimè oblivisens. Habet canis in medicatione quoq; suas utilitates; pinguedo siquidem canis quæ impensè calefacit, humectat & extenuat, utilissimè inungitur in nervorum refrigeratione & luxatis articulis similiter & stercus canis candidum & per gramina excretum, exsiccatumq; quod vulgò *album Gracum* appellatur, in pulverem redactum, *melleq; rosac.* mixtum, faucium tumoribus & exul- *Canis rabiosus.* *Usus Canis in medicina.*

cerationibus illitum egregiè medetur. Sed canes inter omnia animantia, quæ rabie agitantur, veluti sunt lupi, sues & simiæ creberrimè rabie corripiuntur, & cum hominibus tum pecudibus, non tantum suo morsu, verùm etiam contactu suo venenatæ salivæ perniciem inferunt.

Causa rabici in canibus.

Causæ porrò rabiei in canibus περιγραφαὶ sunt calida & sicca canum intemperies, quâ sanguis eorum torretur & in adustam melancholiam convertitur, aut nervosæ illius congeriei vermibus simili, quæ sub linguis canum conspicitur, & Græcis λυσσὰ, id est, vermis nominatur, putrefactio & inflammatio. Hæc enim vermiformis congeries si canibus catulis existentibus secundo eximatur, aut si eorum caudæ extremitas abscindatur, perpetuò immunes erunt à rabie, teste *Columella*. Ubi verò hic vermis inflammatur & putrescit linguam simul inflammat, in tumorem elevat, & totum os contagiosa spuma & pituita replet. Causæ προκαταρκ. sunt ardor solis, vigente enim canicula in medio æstatis sanguis torretur, item vulnus sive morsus ab alio cane aut rabido animali, aut spuma rabidorum animalium canibus insperſa, quæ etiam citra morsus eis perniciem infert.

quomodo canes à rabie præservandi.

Signa rabiei.

Signa & indicia, ex quibus canem rabidum esse cognosci potest, præcipua hæc sunt: Cibum & potum aversantur, auribus & cauda demissis ingrediuntur, vocem amittunt, aut raucam edunt, linguam ex ore propendentem gerunt, ex ore & naribus quotidie larga spuma & pituitosa colluvies profluit, oculis torvis & rutilantibus homines intuentur, in omnes etiam homines & bestias & ignotos & familiares irruunt, & sine latratu mor-

mordent: Contingit verò nonnumquam, ut antequam hæc enumerata in cane appareant signa, ipsum jam rabie teneri & suo morsu posse & hominibus & pecudibus pernitiosum morsum inferre, id quod accidisse scribitur, longè *Clariss. & Excellentiss. Jurisconsulto Baldo*, qui cum *Tridenti* cum catulo luderet, quem in delitiis habebat, morsus est leviſſimo vulnusculo in inferius labium, quod *Baldus* ignorans; catulum rabiem concepisse, vulnusculum contempsit, hoc verò altero die, sponte persanatum fuit, sed quadragesimo à morsu die in hydrophobiam sive pavorem aquæ incidit, ac deinde miserabili morte extinctus est. Proinde morsi à canibus explorare debent, utrum canis fuit rabie infectus, vel non? Præsertim qui æstate viginte canicula commordentur. Ubi autem in ipso cane commemorata signa non appareant, tum hac ratione eorum infectio explorari potest. Sanguis è vulnere morsus manans frustulo panis illiniatur & alij cani famelico objiciatur. Nam si vulnus à cane rabido est illatum, canis alius panem illum ne olfacere quidem sustinebit, quem aliàs avidè statim devoraret. Aut vulneri à cane illato per integram noctem imponatur *Catapl. ex nucleis nucum jugland. contusis confectum*, & illud ipsum manè pullis gallinaceis objiciatur, qui ubi comederint paulò post moriuntur, si canis fuerit rabiosus, sin secus, non moriuntur.

Rabidi

Rabidi Canis morsus quæ excitet symptomata? & Hydrophobia, quale sit symptoma, ac quando consequatur morsum canis rabiosi.

Symptomata à rabido cane.

Rabidi canis morsum præter dolorem loci demorsi alia quoq; pernicioſa comitantur ſymptomata; verùm non continuò poſt illatum morſum, ſed primum poſt 40. aut etiam plures dies, ubi vulnus jam eſt conſolidatum & nihil periculi metuitur, tunc enim ſine ulla evidente cauſa ſolito ſub triſtior efficitur morſum paſſus, & paulò poſt in fixas & melancholicas cogitationes incidit, ac nocturno etiam tempore de canum ferocium invaſione ſomniat, pavoribus inſectatur, & cum clamore evigilat, tandem augeſcente Melancholica colluvie lucem & converſationem hominum averſatur, & ſecum ſolus emurmurat, alloquentesq; torvè intuetur. His interdum accedit febris, faciei & oculorum rubor nunc intenſus nunc remittens, & tandem extremarum partium convulſio. Hiſce ſymptomatibus tanquam certis indiciis veneni rabici, niſi tempeſtivè ſuccuratur, adhibitis convenientibus remediis, æger in vehementiſſimam ſitim collabitur, in qua tamen omni potu cujusvis liquoris abhorret, expaveſcit, abſtinet, donec miſerabili morte, & ſiti intereat. Nam ubi veneni violentia Spiritus animales in cerebro contaminavit & rationem omnem perturbavit, in hydrophobiam id eſt pavorem ac metum aquæ omniumq; liquorum potabilium incidit, quod ſymptoma in morſu rabidi canis eſt pernitioſum, & ſpem omnem ſalutis adimit, quis enim hunc ſanabit, qui aquam cujus potu potiſſimum ſanitatem conſe-

Hydrophobia curã non admittit.

consequi poterat, adeò exhorrescit, atq; aversatur, ut si paulò diutius in conspectu ipsius aquæ detinentur ingentissimis clamoribus canum latratu & ejulatu similibus, omnes adstantes ad tremorem usq; perterrefaciat, & ipse præ anxietate animi per universum corpus desudet, deliret & in animi deliquium ac si in ignem & flammam positus, incidat. Ideò etsi ipse æger extremò sitiat ac humidi teneatur desiderio, tamen ab omni potu abstinet, quando etiam & ipse aliquando more canis rabiosus efficitur, ut morsu violento administros lædat. *Avicenna* dicit, quod admiratione dignum est, quendam post hydrophobiam sanguinis grumos, seu carnis frustula, formam exiguorum catulorum habentia, ingenti cruciatu eminxisse. Statim itaq; ubi à morsu rabidi canis melancholica apparent symptomata, & antequam hydrophobia confirmetur, turbeturq; ratio, sedula & tempestiva curatio est adhibenda, & ubi jam aquæ formido infestat demorsum, statim speculum tersum ei offeratur, in ipsumq; tueri jubeatur, in quo æger seipsum agnoscat, si denicq; balneum intrare non expavescat & a quam bibere non recuset, pristinæ sanitati restitui facilè posse sperandum est: Quemadmodum evenisse *Ætius* cuidam Philosopho scribit, qui post rabidi canis morsum aquæ paveścentia tentatus, melancholicas imaginationes de canibus in aquam versantibus forti animo excussit, & balneum ingressus id proverbij exclamavit: *Quid cani cum balneo?* ac tandem frigidam aquam largiter bibit ac paulo post sanitati est restitutus.

Nota an æger possit restitui.

Rabidi canis morsus & ejus symptomata quo ordine & quibus remediis curanda.

Curatio morsus rabidi canis minimè in longum tempus est protrahenda; sed statim cognito cane fuisse rabie affectum, à quo illatum est vulnus, confestim & ante omnia si mare salsum propinquum est, aut si id absit, in proximum fluvium aut lacum deducatur morsus, & ex improviso in aquam conjiciatur ac ter quaterve submergatur. ejusmodi equidem baptismus præsentissimum est remedium adversus futuram hydrophobiam, postea cogatur ut patiens aquam bibat, usq; ad nauseam & cognitionem. Quibus peractis vulnus à cane inflictum aut candenti auro inuratur, & urendo amplificetur. Atq; ubi exustione vulnus crusta obductum est, eidem unguentum imponatur *ex Vernice pictorum, butyro recenti & vitello ovi confectum*; id enim vulnus à crusta brevi tempore liberat. At si tam sit delicatus æger, ut ustionem perferre nolit, tunc scalpello incidatur & dilatetur vulnus, caroq; adiacens scarificetur, sanguisq; ex vulnere digitis exprimatur, aut affixa cucurbitula cum multa flamma eliciatur. Quia verò vix aliud genus vulneris sua sponte citiùs coit ac consolidatur, quàm quod à rabioso cane est inflictum, accuratè cavendum est, ne vulnus ante tres vel plures menses coalescat. Ne autem conglutinetur hac ratione præcaveri potest, si vulneri frustulum *rad. Gentianæ* adaptatum quotidiè recens imponatur, aut si vulneri quotidie pulveris *argenti vivi calcinati*, quem Chymici ☿ *præcipitatum* vocãt, super emplastrum attractivum, quod & *Bruthenicum* dicitur sparsum

per submersionem & aquæ potum.

Per vulneris cauterisationem.

per Cucurbitas.

Vulnus per tres quatuorvè menses hiet.

sum imponatur ac indies renovetur, non permittat, & virus omne â centro ad superficiem eliciat. Ejusmodi autem emplastrum quotidiè bis renovandum erit, & vulnus cum pueri urina semper eluendum. Præter emplastrum attractivum utilissimum quoq; vulneri quotidie imponi possunt, si superiora non adsint, hæc sequentia cataplasmata.

Cataplasmata venenum eluentia.

R. Allij, cepæ, porri, scordij, centaur: min. ana pro libitu, quibus viresc entibus contusis admisceatur pulvis sem. Eruc æ & cum q. butyri salis & mellis F. cataplasma. Aut quod magis virus elicit. *R. Gum. Opopanacis in aceto liquefacti ℥. j. ficuum Nov. fol. rutæ & teneriora folia brassicæ rubeæ ana M. s. simul contundantur & cum q. s. butyri & mellis F. cataplasma.* Quod si nec hæc ad manus sint eadem ratione quotidiè imponatur caplasma *ex cinere fraxini cum urina pueri aut cum aceto confectum*, aut tenuioris fortunæ homines continuè foveant vulnus, *cum radicem Gentianæ infigendam esse*, ne coalescat, paulò ante diximus. *Urina pueri* aut alterius sani hominis duplicatis linteolis excepta, quæ ubi exaruerint, rursum madefiant. Porrò ubi canis rabidus citra morsum sola contagiosa saliva nudam cutem contaminavit (cujus est tanta venenata violentia & penetrandi facultas, ut per poros cutis citissimè & sanguinem & spiritus vitales inficiat) & ipsa prædicta inferat symptomata, his statim occurrendum est, ac ita symptomata præcaveri possunt: Si locus saliva rabiosa contaminatus salsugine *ex sale marino & aqua confecta* diu multumq; fricetur & abluatur, atq; si loci natura patitur, cucurbitulæ cum scarificatione applicentur, sanguisq; infectus eliciatur. Porrò interim-

Saliva rabidi canis virulentia.

dum hæc externè aguntur, minimè & interna remedia veneno rabiei adversantia, negligenda erunt. Protinus itaq; ubi quem canis rabiosus momordit, & æger ut diximus in aquas præcipitatus ac baptisatus est, aquamq; largiter bibit, tandem exhibeantur *Theriacæ Andromachi* ʒ *ij cui olei Angelicæ* ℈. *ß. sit admistus cum hausto aquæ scordij aut Centaurei min.* quo exhausto probè contectus, aut in balneum vaporarium ductus, sudet per unam atque alteram horam, aut loco *Theriacæ* sumatur hic pulvis: R. *Scordij rutæ, flor. Centaurei min. Rorismarini ana* ℈ *j. rad. Ostrutij, Angelicæ, Zedoariæ ana* ℈. *ß. corall. rub. præp.* ℈ *ß. Unicornu vel ejus loco cornu cervi tempestivè capti* ℈ *j. pulverisata commisceantur, sudorq; in balneo excitetur.*

Interna.

Sudorifera.

Pulvis contra rabiē

His peractis per totum deinceps curationis tempus, quod per novem septimanas aut etiam amplius protrahendum est, quotidiè jejuno ventriculo medicamentum veneno rabiei adversum *cum Scordij aut Centaurij aqua* exhibeantur, inter quæ *Galenus lib. 11. de simpl. medic.* mirificè extollit *cinerem cancrorum fluviatilium* solum tantum, aut cum admistione *rad. Gentianæ & thuris*, quod medicamentum se *ex Æschræo* sene Empirico præceptore suo accepisse refert, & dicit cancrorum fluviatilium cinerem totius substantiæ proprietate adversari veneno rabiei. Ita autem conficere docet. Sumantur *cancri fluviatiles* recenter capti & adhuc vivi pro arbitrio, & in cinerem comburantur & in ærea patella (id quod ego in olla vitreata & cooperta perficere soleo) *hujus cineris accipiantur* ʒ. *X. Gentianæ* ʒ *v. thuris* ʒ *j. Misceantur F. pulvis.* Ego verò ita commisceo: R. *Cineris cancrorum fluviat. in olla ustorum* ℥ *j. pul. Gentianæ* ℥ *ß. thuris myrrhæ ana* ʒ *ij. Ro-*

Tempus curæ diutius protrahendū.

Cancrorū cinis.

Joelis præparatio & confectio pul. cancrorum.

℥ij Rorismarini, Centaurei min. Scordij ana ℈j. misceantur. F. pulvis, cujus ℥j. aut ℥ß. cum aq. Centaur. aut Scordij quotidiè exhaurienda præbeatur. Interim verò & diætæ, id est, alimenti, ratio est habenda, in qua æquè ut satietas ita & longa inedia vitanda est, & cibus atq; potus tales sint, qui & veneno rabiei resistant, & per urinam impuritatem sanguinis propellant. Conducunt autem in genere cibi facilis concoctionis & purum sanguinem generantes, vitanda autem sunt dura & crassa, omniaq; sale fumoq; durata, adeoq; omnia quæ melancholicum generant sanguinem. Prodest autem in esculentis concoquere *rad. Petroselini & fœniculi* & condire fercula *semine fœniculi, cimini, carvi & anisi, cepæ similiter & porrum cum eis concoqui possunt, sed caro cancrorum fluviat:* in morsu rabidi canis omnium præstantissimus cibus habetur. In potu *vinum tenue & album, hydromel etiam & cerevisia absynthiaca lactisq; serum conveniunt.* Venæsectio aut purgans medicamentum in morsu canis rabidi ante 40. dies minimè molienda sunt. At postea si æger benè se habet & corpus sit plethoricum vena tali sinistri pedis secari potest, & humor melancholicus prius *decocto rad. polypodij, cetrah, Thymi. & hellebori nigri* concoctus, cum *Extracti Ellebori nigri* ℥. ß. commodè expurgari potest aut cum confect. hamech. ℥. vj. ubi verò post dies 40. aut post menses 7. aut etiam revoluto anno (his enim potissimum temporibus reliquiæ veneni rabiosi morsus exacerbari consueverunt) melancholicæ speculationes & præter morē tristitiæ & initia hydrophobiæ appareant, antequam mens prorsus turbetur & pavor aquæ invalescat, venenata melancholica colluvies statim præscriptis

Diureticæ non negligenda. Cibi sint εὐπεπτοι.

Potus. V. S. & purgatio quando instituenda.

ptis remediis concoquatur & evacuetur, ac post evacuationem aut *bituminis Judaici* ʒ. 1. *quod Asphaltum dicitur* & ex mari mortuo advehitur, in pulverem redactum, *cum aq. centaur. min.* exhibeatur, aut ʒ. j. *coaguli catuli tum eadem aqua*, quod etiam si in initio morsus exhibeatur præservat hominem ab hydrophobia. Deinde aquam bibere & crebrò balneo intrare cogitur æger, & si eò processit venenum, ut æger limpidam aquam bibere exhorrescat, vel alium potum, tum atro colore est imbuendus, cum *pulvere nitrato sive bombardico*, qui per seration*e salis nitri & sulphuris* veneno resistit, Præstat autem potum ægrotanti porrigere per oblongam fistulam si liquoris aspectum ferre non potest.

Præservantia ab hydrophobia.

Admonitio.

Felis sive Cattus, quæ & quomodo inferat symptomata, & quibus curanda remedis.

Felis.

Γάλη, Latinis *felis*, Germ. Ein Katze est animal domesticum, quod ad murium injurias propulsandas in domibus alimus: inter quadrupedia agile & facile, levissimum, adeò ut ex altissima turri deturbatum semper pedibus in terram incidat, statimq; tanquam nihil mali passum fuerit, aufugiat. Felium duo sunt genera, domesticum & sylvestre, cui & tertium addi potest Zibeti catus, cujus excrementum est *Moschus* res odoratissima atq; preciosa, sed apud nos ignotus. Felis fœmella *Arist. lib. 5. de historia animalium* teste, & salacissima & libidinosissima, quæ cum Venere turget, ut mense Februario ac Martio suo ploratu marem ad coitum invitat & allicit, qui si parere non vult ipsum horribili garritu & clamo-

Tria Catterum genera.

clamore morsuq; cogit & pungit. Non tantùm verò morsu, sed & saliva & halitu unguiumq; laceratione dolorem & tumorem vulnusq; non facilè curabile infert. Reperiuntur nonnulli homines qui præsentiam felium antipatheia quadam perferre non possunt, sed statim in sudorem & deliquium animi incidunt. Verùm longè pernicioſiora excitat Symptomata felis cerebrum, execrabili fraude vel in cibo aut potu intra corpus exhibitum, id enim statim cerebri temperiem perturbat, crebras infert vertigines, & in amentiam conjicit, in qua æger diu noctuq; oberrare & alia loca scandere, nisi vinculis cohibeatur cogitur, & nisi tempestivè huic malo succurratur, in ea amentia vitam misere finit.

Libido felium.

quomodo noceant.

Cerebrum comestum.

Curatio vulnerum ex morsu & laceratione unguium felis ita instituì oportet, vulnus subinde ablua tur *vino in quo radix Valerianæ & herba Veronica* sunt incocta. Deinde vulneri imponatur cataplasma *ex fabis, jejunis dentibus masticatis*, tumidæ verò & adiacentes partes inungantur *oleo scorpionum* aut imponatur cataplasma *ex stercore columbino cum pueri urina aut aceto confectum, aut ex cepis contusis paratum*, ac tandem apparente suppuratione consolidetur Chirurgica industria *emplastro attractivo impositio.*

Curatio morsus.

Curatio autem maleficij & amentiæ ex cerebro felium assumpto hac methodo est instituenda. Statim ubi suspicio adsit assumpti hujus cerebri, vomitio moliatur *cum hausta aq. juniperi per descensum destillatæ*, idq; antequam venenata materia in corpus est digesta, & vis veneni in cerebrum delata. At si venenum jamdudum turbavit rationem, tum ad veneni expurgationem

Sumpti cerebri. Vomitus.

nem exhibeatut ℈ j. *extracti helleb: nigri, aut grana vj. vitri antimonij.* Deinde sedata evacuatione, & collectis nonnihil viribus exhibeatur hausstulus diaphoreticus ex ʒj *Theriacæ Andromachi & pulv. terræ Lemniæ ac corall. rub præp. ana* ʒß. *cum aq. scordij commixtis,* quibus ebibitis vel in lecto vel balneo per unam atq; alteram horam sudare cogatur æger. Postremò quotidiè manè ac vesperi corroboretur cerebrum & spiritus animales exhibita semper semijuglandis nucis quantitate sequentis electuarij. *R. Conserv. Rorismarini* ʒ ij *pul. carui, cubeb. sem. pæoniæ ana* ʒß ß. *diamoschi dulcis, diambræ ana* ʒj *Serapij de Betonica. q.* ʒ, *ac parum aq. Juniperi, per ascensum destillatæ, misceantur.* Fiat Electuarium aut exhibeantur manè ac vesperi duæ rotulæ *Diamoschi dulcis.* Præsentissimum remedium putatur esse ℈ ß. *Moschi cum vino contriti & exhibiti.* His remediis anno Christi 1570. feliciter curavimus adolescentem rusticum *Danielem Temel* in pago *Glashagen,* qui per insidias aliorum rusticorum catisylvestris cerebrum assumpserat, hic diu noctuq; in agro vagabatur amens, & quicquid cernebat, id omne illi sylvæ & nemora esse videbantur, sed beneficio Dei restitutus adhuc hodie vivit & valet.

Diaphoreticum.

Confortans.

Præsens remedium

Historia.

Lupus quid, quæ morsu suo inferat symptomata, & quomodo ea curanda?

Lupus. λύκος *Lupus* ein Wolff / est animal sylvestre rapax & grandi ore cani non absimile; Lupi ferociores & tum hominibus tum pecudibus magis infesti sunt circa brumam mense *Januario.* Id admiratione dignum est in lupis, quod ubi hominem prius viderint, quam ipsi ab homine

& hoc ex philosophia vulgi

mine videantur, ſtatim illi vociferandi facultatem adimant, & vocis raucedinem inferant. *Rugia* noſtra inſula nobiliſsima hoc memorabile habet, quod nec lupos ferat nec glires patiatur, & ſi in eam importentur in proximum mare præcipites ruant. Inſignem utilitatem in arte medica præſtant lupi ſuis dentibus, epate, excrementis & inteſtinis. Dentes lupi argento incluſi, prosunt ad infantium dentitionem. Si enim gingivæ illis confricentur ſine cruciatu dentes eliciunt. Epar lupi in vino ablutum infruſtula conciſum & exſiccatum, poſteaq; in pulverem redactum & cum vino pondere ʒj. exhibitum, corruptioni epatis ex nimia venere contractæ opitulatur. Lupi excrementum præſertim ex oſsibus conſtans in vepres & ſpinas oblongaq; gramina excretum ſiccatum & in pulv. redactum, ſi ʒ. j pondere in vino exhibeatur, colicos cruciatus ſiſtere docet *Galenus*. Lupi inteſtina exſiccata & in pulverem redacta, non tantum *Avicennæ* teſtimonio, ſed atteſtante quotidiana experientia præſentiſsimum auxilium adferunt in colicis doloribus, ſi ejus ʒj *cum vino* propinetur. Morſu ſuo lupus dolores acres & tumorem demorſæ particulæ, difficiliorem q; ſanationem infert; iis verò longè perniciosiora infert ſymptomata morſus lupi qui eſt rabie percitus, nam & ipſi nonnunquam more canum rabie corripiuntur.

Uſus Medicus partium lupinarum.

NB.

Inteſtina.

Sympt. à morſu.

Lupi rabioſi.

Curatio vulneris Chirurgica induſtria perficienda eſt, prius adhibendo, ſi natura loci patitur, cucurbitulas cum ſcarificatione, Deinde eluendo vulnus cum vino, in quo *radix Valeriana & herba Veronica* ſeu *Teucrion* ſunt in cocta, imponendoq; quotidiè bis novum Emplaſtrum

attractivum. Si exhibeatur potandum vinum cui incoxerunt *rad. Vincetoxici & Valerianæ cum fol. calaminthæ & in ejus ℥ v. commiſceatur pul. Gentianæ & læpillorum cancri ana ʒ ß.* plurimum confert, & curationem facilem reddit. Vbi verò lupum mordentem rabie correptum

Antidota. ſuſpicio adſit, omnia ea accuratè uſurpanda ſunt, quæ paulò ante in canis rabioſi morſu ſcripta fuêre. Peculiater autem *ol. è myrrha pondere ℈ ß. aut ſucci allij ℥ j. cum vino mixta utiliſſimè propinari poſſunt.*

Cervus quid, quæ partes ex cervo in Medicina uſurpentur, quæ venenatæ, quæve excitent ſymptomata, & quibus curandæ remediis.

Cervus. Ἔλαφος, ein Hirſch eſt animal ſylveſtre, adultum mediocris equi proceritatem habens, duobus grandioribus cornubus ramoſis armatum, quæ ipſi bimulo primùm enaſcuntur, & ſingulis annis, uſq; ad ſex uno ramo augentur, ac poſtea ea crebrò deponit ac nova recipit. Animal eſt velociſſimi curſus & circa *Calendas Septemb.* omnium ſalaciſſimum & ad inſaniam uſq; libidinoſum.

Salax & Vivax. Etſi autem libidinoſa animantia natura ut plurimùm brevioris ſint vitæ, cervi tamen vivaciſſimi ſunt. Nam *Plinius lib. 8. c. 32.* ſcribit poſt annos centum cervum captum eſſe cum torque aureo, quem *Alexander Magnus* addiderat, alioquin ſimplex animal eſt, quod ad omnium rerum miracula obſtupeſcat, & ita crebrò à venatoribus facilè interimatur. Sumuntur ex cervis ad

Partes rei medicæ utiles. hominum ſalutem in Medicationibus variæ particulæ, veluti ſunt cornu, lapis in oculis cervorum concretus, oſſiculum ex corde cervi, Genitale cervi, ſevum & medulla.

dulla. Cornu cervi tempestivè, id est, circa *Cal. Septemb.* capti in scobem seu pulverem redactum, & cum *aq. Apparine aut vino* exhibitum, salutare est remedium adversus cardialgiam sive orificij ventriculi tumorem, quem nostri das Hertzgespan vocant, quo infantes creberrimè laborare solent. Idem cornu cervi non secus ac unicornu omnibus venenis assumptis præclarè medetur. Præstat itaq; ramenta cornu cervi pro adulterino unicornu in expellendo per sudorem veneno, & in pestilenti contagione uti. Idem cornu cervinum ad candorem calcis in olla exustum & in pulv. redactum pondere ʒj. addita exigua *Tragacanthi* portione singultum compescit. Diserreriæ & omni alvi fluori & Gonorrhææ, albisque mulierum mensibus medetur, quin & alvi lumbricos cum melle mixtus enecat, regioq; morbo opitulatur. Si autem *piperis & myrrhæ* nonnihil admisceatur, colicos dolores sedat, Lapis in angulis oculorum annosorum cervorum post absorptionem serpentum concrescit, quem *Arabes Bezahar*, id est, venenum vincentem vocant, qui tamen inventu difficilis: Hunc tanquam omnium præstantissimum antidotum contra omnia venenorum genera prædicant, si ℈ ß *cum vino generoso* exhibeatur: Per sudorem enim omne virus propellit. In corde cervorum annosorum caput arteriarum cartilagino sum in os degenerat, quod principes viri pro thesauro colligunt ac conservant, nam quod in myropoliis ostenditur os de corde cervi est fæda impostura, non enim aliud est, quam cartilago ex cordibus mactatorum boum exemta & exsiccata. Os verò genuinum è corde cervi exemptum & in pul. redactum omnibus venenis mirifice

Virtus CC

Bezahar verum nõ ex angulis oculi cervi sed ventriculo caprarum Indicarum salutares plantas depascẽtiũ eximitur.

Os cordis cerni.

adversatur, & cor a violentia veneni munit ac corrobo-
rat, idcoq; meritò antidotis pretiosis corroborãtibus, ve-
nenoq; adversantibus salutariter admiscetur. Genitale
verò cervi, circa *Cal. Sept.* capti exsiccatum & in scobem
redactum ac cum vino pondere ʒ j assumptum, sopitam
venerem excitat, morsibus viperarum auxiliatur & coli-
cos dolores aufert, & dysenteriam persanat. Sevo &
pinguedine, medullaq; cervina magno successu utuntur
Chirurgi & emolliendis tumoribus in humectandis ner-
vis & consolidandis ulceribus, vulneribusq; ea Empla-
stris & unguentis commiscentia, veluti in sequenti tra-
ctatione indicabimus. Porrò bilis vesicula, quam reli-
qua animantia sub epate habent carent cervi, ideoq; o-
mnem bilem dispersam habent per venas meseraicas in
intestinis sparsas, cujus tamen major & pernicioſior pars
ad caudam est collecta, viridi porraceæq; bili similis, hinc
cauda cervorum pro veneno præsentissimo habetur,
quæ comesta vel ejus bilis intra corpus assumpta, sævissi-
ma excitat symptomata, intolerabiles angustias, crebra
animi deliquia, ac brevi tempore nisi succurratur, interi-
tum infert.

Sevum Medulla.

Cauda cervina venenata per fumum ejus convocantur serpentes.

Cura sympt quæ assumpta infert.

CURATIO symptomatum ex Veneno caudæ cervi-
næ est subita post assumptionem evacuatio vel revomi-
tio assumpto hausto *aq. Junip. per descensum destillatæ
aut largiore butyro liquefacto epoto*, post vomitum confert
*Exhibitio Theriacæ ʒ j & Corall. rub. præp. terræq; Lemniæ a-
na ϑ j, aut ϑ ß gemmæ smaragdi.* Foris verò prodest totum
corpus inungere *oleo rutaceo* & crebrò vesci *nucleis pinea-
rum*.

Sorex.

Sorex quid, & quæ inferat ſymptomata.

Μυοχάλη *Sorex*, *Glis*, Germ. Eine Ratze oder groſſe Mauß/ & in noſtra *Pomerania* à longa cauda, quam habet acuminatam *Langeſtart* nominatur. Murium & agreſtium & ſylveſtrium & montanorum plura ſunt genera, inter quæ & muſtelas die Wieſel & talpas die Maulworffe autores numerant. Domeſticorum autem murium tantum duo ſunt genera: Mures parvi & domeſtici die kleinen Meuſe / & mures majores ſive ſorices die Ratzen/ quos ideo μυοχάλας à Græcis dictas fuiſſe arbitror, quod cum felibus congenitam hoſtilitatem & inimicitiam habeant. Utrumq; murium domeſticorum genus ſed ſoricum imprimis patribus familias plurima incommoda damnaq; infert: Non enim frumentum tantum in ædibus, ſed & quævis alimenta & veſtimenta vaſtat, corrodit & exedit. Mures majores ſive ſorices magis ſunt venenati, adeò etiam ut feles etiamſi eos interimant tamen non guſtent, quod ſi verò præ nimia fame devorarint, Elephantiaſi ſive lepra corripiantur: ſuo itaq; morſu & urinæ conſperſione valde periculoſa inferunt ſymptomata: vulnus ſiquidem ex eorum morſu ut plurimum inflammatur & putreſcit, & circa vulnus nigricantes puſtulæ ſanieq; atra turgentes excitantur, ac tandem in ulcus depaſcens & ſerpens degenerat. Simili ratione etiam urina eorum venenata per cutem ſparſa inſtar ſerpiginis exulcerat, niſi ſubitò locus contaminatus ſalſugine abluatur, *Theriaca Androm.* confricetur & *oleum ſcorpionum* linteolis exceptum imponatur.

Sorex. Glis.

Feles ex eorum glirium Elephantiaſi corripiuntur.

Symptomata.

Curatio sympt. Curantur hæc symptomata primò cucurbitulis cum scarificatione impositis, sanguinisq; venenati extractione: Post cucurbitulas ulceri imponatur cataplasma *ex solo Galbano cum pauxillo aceti liquefacto:* Id enim potenter virus elicit. Tandem utilissimè imponi potest cataplasma *ex allio & cepis simul contusis* confectum. Intra corpus ne veneni vis penetret, prodest singulis diebus *haustum vini* ebibere, in quo *Abrotanum, baccæ Lauri, Cyminum & folia scordij sunt incocta.* Quod si contaminatione urinæ soricis cutis exulceretur, ulcus subinde vino lavetur ac foveatur, in quo *cortices mali granati fol. veronicæ, Lysimachiæ* sunt incocta: post lotionem ulceri inspergatur *pul. tenuissimus hordei tosti.*

Vespertilio quid, quæ inferat symptomata & quibus remediis curanda.

Vespertilio. Μῦς ἀερόχυτος sive νυκτερὶς *mus volans* Eine Fledermauß. Admiratione dignum est, quod veteres *Græci* volantis hujus & venenati muris (quod ego quidem sciam) nullam fecerint mentionem. *Dioscorides* quidem meminit muris aranei, quem morsum suum, si illi discerptus imponatur curare & veneficij sui pœnam luere, dicit, sed qualis sit, non describit. Ego verò *vespertilionem* ideò *murem araneum* appellatam esse judico (salvo tamen cujus vis judicio) quod si ejus alæ sive pinnæ membraneæ utrinq; extendantur telis araneorum similes conspiciantur. *Derivatio nominis.* Νυκτερὶς vocabulum non tantum vespertilionibus sed etiam papilionibus vesperi ad lucernam volitantibus tribuitur. Dicitur autem vespertilio, quod vesperi duntaxat & in tenebris volitet, & si accensum lumen

